

# Digitaliseret af | Digitised by



**DET KGL.  
BIBLIOTEK**

Royal Danish Library

Forfatter(e)   Author(s):	Harder, Henrik
Titel   Title:	<u>Henrici Harderi Epigrammatum libri tres.</u>
Alternativ titel   Alternative title:	Epigrammatum libri tres.
Udgivet år og sted   Publication time and place:	Hafnø : apud Petrum Haubold : imprimebat Johannes Adolph Baxmannus, 1679
Fysiske størrelse   Physical extent:	[4] bl., 135, [1] s.


## DK

Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse. Husk altid at kreditere ophavsmanden.

## UK

The work is free of copyright. You can copy, change, distribute or present the work, even for commercial purposes, without asking for permission. Always remember to credit the author.





3  
18/6 = 6

53, - 44. - 8°

DET KONGELIGE BIBLIOTEK  
DA 1.-2.S 53 8°





1 1 53 0 8 00180 7





1262




















HENRICI HARDERI  
EPIGRAMMATA



HAFNIAE Apud Petrum Haubold.



HENRICI HARDERI  
EPIGRAM-  
MATUM  
LIBRI TRES.

---

*HAFNIAE*

Imprimebat JOHANNES ADOLPH,  
BAXMANNUS,  
M DC LXXIX.

*W. Grunius*  
1692.

## Approbatio.

**L**ectissima hæc Clariss. Viri Dni.  
HENRICI HARDERI Epigram-  
mata Musis propitiis nata sunt &  
vibrantibus argutiis provocant le-  
ctores, digna quæ publicis typis in  
manus plurium perveniant.

*Hafniæ 7. Februar.*

*Anni 1679.*

**OLAUS BORRICHIVS**



PERILLUSTRI EXCELLENTIS-  
SIMOQVE HEROI

OLAO ROSEN-  
CRANTZ

BARONI DE EGHOLM ET  
ENGGAARD EQVIT. AUR.  
S. R. M.

Consil. intim. & Status Consiliario,  
Colleg. Stat. & supremi Tribun,  
Assessori.

GENEROSISSIMIS

CHRISTOPHORO  
LINDENOVV

Dno. De Øregaard & Friisholt Reg.  
Majest. Ad Reges Magnæ Britannia &  
Sveciæ Alegato Extra-  
ordinario, &c.

JANO ROSEN-  
CRANTZ

Dno. de Farschou Reg. Majest.  
Cancellariæ Consiliario & Præ-  
fecto Niburgensi,

**OLIGERO TOTTE**

Dno, de Sevede Marvvinsholm  
& Sortebrôdregaard &c.

**MAGNO SCHEEL**

Dno de Fusing Odden & Stensbeck  
Reg. Majest. ad Elect. Brandenb. Ablegato  
to Extraordinario; Reginae  
Cameratio.

**PATRONIS DOMINISQUE SUIS  
UT GENERIS SPLENDORE  
SIC VIRTUTUM AC LITERARUM  
LAUDE ILLUSTRISSIMIS  
TRES EPIGRAMMATUM LIBROS  
GRATA IN SE MERITORUM DOMI  
FORISQUE MEMORIA  
CUM PERPETUÆ FELICITATIS VOTO  
SUBMISSE**

D. D. D.

**Henricus Harderus.**

# AUTORI

De Epigrammatum Editione  
gratulantur Amici

I.

**H**aud opus est hedera laudatis undiqve  
vinis,  
Nec præfixa libro disticha Momus habet:  
Ad vinum facilis generosum confluit em-  
tor,  
Nec Momi linguam carmina docta ti-  
ment.

CASP. KÖLICHEN Med. D.  
& Physicus Civit. Hafn.

---

II.

**I**nter Hyperboreos vigilat tua Musa furores  
Fæta, dicax, quanquam jura sub ense silent,  
Non tamen illa filet: quo tempore cuncta videntur  
In primum vere velle redire chaos,  
Ipsa serenato vultu linguaq; diserta  
In numeros certo cardine carmen agit.  
Quàm vellem velle meriti fortuna noverca  
Esse brevi faulrix imperiosa tuis.  
Disceret ut tandem stupidos explodere truncos  
Quæq; tibi est docta voce cathedra loqvi.  
Sit votum factum! vicinas detur habere  
Docte Poeta, lares, dulcis Amice, focos.

M. NICOLAUS BIORNSCOVIUS  
Scholz Hafn, Con-Rector.



III.

**E**sto, sciant comitis sublimia dicere ner-  
vis

Quos hodie in versu gloria prima manet;  
At fere luxuries terrenæ crebra Camœnæ  
est,

Qui cælo impellat pectora rarus erit.  
O dispar Solymæ resonans in collibus Echo  
Quam sacra Jessidæ voxque manusque  
citat!

Pectine qui chordas sed pectore pulsat O-  
lympum

Regis ad exemplum quis modo pulsat  
ebur?

Tu gemina nos parte beas, **HARDERE;**  
beati

Ætheris & docti pars quoque clara chori.  
Vena cavernoso veluti salit excita colle  
Torrida in Æthiopum pascua vena  
means:

Sic tua Musa animum stimulis cœlestibus  
effert,

Exhilarantque suis gaudia festa jocis:  
Tu bene divisus studiis terræque poloque  
Et poteris dici doctus & esse pius.

FRIDERICUS BRAND  
Ecclesiast. Aulic-Nicop.

HENRICI



I.

HENRICI HARDERI  
EPIGRAMMATUM  
LIBER PRIMUS.

*Cui argumentum ex Historia sacra.*

---

Timor Domini initium Sapientiæ.

PIETAS.

*ἀνάγκη.*

PIA EST, SAPIET.

Principium Pietas sapiendi sed quoq; finis: ✕  
Si pius es sapiens, si sapiens esto pius

*Creatio Mundi.*

Fit dicente Deo cælumq; solumq; salumq;,  
Qui dicendo facit, quid faciendo potest?

*Lapsus Adami.*

Dum mala dum bona vult cognoscere, pec-  
cat Adamus

Et quali exciderit conditione videt.

A

○ fore

O fortunatum nunquam suasi bona nosset?  
Hac homines miseri cognitione sumus.

*Heuæ mors.*

**C**ur Heuæ de morte nihil sacra pagina  
narrat?

An quia perpetuo vivere digna fuit?

*De Caino desperante.*

**N**on peccando Cain sed desperando pe-  
ribat,

Non Deus huic veniam sed negat ipse  
sibi.

*Noah de arca sua.*

**C**um gravis immensum tempestas merge-  
ret orbem, (erat

Non magis hæc navis quam mihi portus

*De eadem.*

**N**avis ab auriferis nunquam locupletior  
Indis

Hac rediit cunctas quæ tulit orbis opes,

*Ad conditores turris Babel.*

**J**am tumidas moles cæloq; minantia faxa  
Orbis & audaces tollit ad astra gradus,

Heu stolidi! non quo vos ascendatis in astra  
Sed quo descendat pœna, paratis opus.

*Ad Sodomitas*

Vestra polum versus quæ clamavisse fe-  
runtur

Crimina cur quidam crimina muta vo-  
cant?

*De Lothi incestu.*

Dum tenebris somnoq; jacet vinoq; se-  
pultus;

Hunc sobolis fecit non sua culpa reum;  
Perversi natura nefas exhorruit ausus,  
Obtulit hic vitium fæmina nempe viro;

*Ejusdem Epitaphium.*

Hic jacet uxorum genitor genitorq; ne-  
potum

Tam suus ipse gener quam suus ipse so-  
cer,

Uxorum affinis, natorum avus & Pater idem,  
Hem quantum est unum nomen habere  
bonum!

*Uxoris Lothi Epitaphium.*

Quæ Sodomæ cladem lapsosq; e nubibus  
ignes

Effugiens mihi met sævior igne fui,  
Hic sto non jaceo; levitas hanc improba  
pœnam

Poscit & insulsam sic sapuisse jubet;

Tu ne terra gravis mihi sit ne posce viator,  
Sed mage ne terræ sim gravis ipsa meæ.

*Hagar in eremo.*

**S**cilicet hanc, in spem te, nate, miserrima  
Mater

Edidit ut gelidæ gutta deesset aquæ.  
Urimur & siccæ torret sitis arida fauces,  
Te sitis interimit, me sitis atq; dolor.  
Absit ut hos oculos faciam spectando nocentes,

Sit satis heu! gemina posse perire nece,  
Hic dilectæ jace; procul hinc procul impia  
Mater

Auferar, ut fierem sæva coegit amor.

### DE ABRAHAMO

*Filium immolaturus.*

**I**psæ suam genitor prolem mactare jubetur,  
Obsequiumq; parat,  
Obsequium usq; adeo potuit placuisse Tonanti,

Nollet ut obsequium.

JACOB ἀνείρε. ACIBO.

ESAVUS — SÆVUS.

*Jacob loquitur:*

**E**suriens jus omne suum mihi vendit Esavus,

Nec malè compensat fercula nostra Pater.

A gemino fors aucta CIBO mea, meq; Ju-  
betur

Esavus, sævus sit licet, esse minor.

JACOB Deceptus

*Ad Socerum.*

**H**ac servus mercede fui? sic præmia solvis?

Sic focer heu servas insidiose fidem?

Redde mihi emeritos, vir perfide, redde tot  
annos;

Sola fuit tanto tempore digna Rahel.

Quid tamen hanc aliam quid sperno deni-  
que lippam?

Ipse ego quo duxi tempore cæcus eram.

RAHEL *Moriens.*

**M**e miseram! tanti non est evadere ma-  
trem

Et numerare sui pignora multa tori.

Heu soboles, sine qua me vivere posse nega-  
bam,

Me necat & votum damnat iniqua  
meum.

Heu ingrate puer parienti vipera matri:

Siccine cum viva vivere matre nequis?

Nalceris atq; datam compensas funere vi-  
tam

Hora eadem tibi fit dextra, sinistra mihi.

*In Dinam Jacobi filiam.*

**I**t levis ut spectet peregrinas Dina puellas  
Virgo, sed amissa virginitate redit.

Hoc retulit nimia levitate; cavete puellæ  
Fiatis nimia ne levitate graves.

*De eadem.*

**D**ina peregrinas exit spectare puellas,  
Sed levis amisso Dina pudore redit.  
Si rediit sic Dina, quid illis denique fiet?  
Quæ toties Juvenes ut speculentur eunt.

JOSEPH.

*Cum inter fratres periclitaretur.*

**H**eu cadit in fratres tantum scelus? hoc-  
cine tutò

Hoc cælo fieri teste Deoq; potest?  
Me miserum! cur non errare sinebat eun-  
tem

Quisquis erat rectum qui mihi dixit iter?  
Sic me jam reducem genitor fortasse vide-  
res.

Non errasse meus maximus error erat.

*Idem ad mercatores.*

**S**im vester potius: mihi mortem hæc tur-  
ba parabat,

Si culpam cupitis noscere, frater eram.

*Idem*

*idem cum a Domina sollicitaretur ad  
adulterium.*

**D**efine, nec teneræ mulier pulcherrima  
formæ

Nec sum ego blanditiis præda futuratuis,  
Vel fugiens vincam, vestem trahis? ecce re-  
linquo;

Tu tua jam nostra crimina veste tege.

**JACOB,**

*Tunicam Fillii agnoscens.*

**H**æc certe hæc illa est nostri modo pignus  
amoris,

Qui tulit hoc nostri munus amoris ubi  
est?

Heu Josephus ubi est? nam si modo totus  
abesset!

Nempe sed illius pars nisi fallor adest.

Quid maculæ & cruor hic? hæc nuncia lite-  
ra venit,

Hic tua fata, puer, sanguine scripta lego.  
Memiserû! mea sunt hæc filii crimina, ego te  
Inmisi rabidis exposuique feris.

Jam maculata mihi pro nato vestis a metur;  
Restat ut hanc lacrymis lumina nostra la-  
vent.

**FRATRES JOSEPHI**

*Patrem consolantes.*



**P**arce Pater lacrymis tantas miscere querelas;

Non hic quem defles unicus, unus erat.  
Parce pater nimio reliquos contemnere  
luctu;

Nos quoque progenies & tua turba sumus.  
Heu pietas! quantos proles ciet unica fletus!  
Quid si jam reliquos hæc quoque fata tra-  
hant?

Quare age care parens unum plorare per-  
emcum

Desine, pro nostra funde salute preces,  
Quodque potes superos ora ne quando fe-  
ramur

Nos etiam luctus causa fuisse tui.

*Æ Jacobum.*

**Q**uid fies funera filii Jacobe?  
Vivit filius emtus haud peremptus.

*JACOB cum Josephum vivere  
audisset.*

**V**ivere Josephum? pharias regnare per  
oras

Josephum & lacrymas tot periisse meas  
Credimus? an miseræ blanditur fama se-  
nectæ?

Credimus & faciunt munera missa fidem.

Vivi.

Vivitio! Joseph; jam nos quoque vivere lætos  
 Quid verat? at quantum nunc doluisse  
 dolet?

Quam frustra doluisse juvat! dulcissime fili  
 Te modo te vivo mors mihi munus erit:  
 Te bene claudentur viso nec cernere quicquam  
 Post tantum cupient lumina nostra bonum.

## MATER MOSIS

*filium expositura.*

Crudeles pharii: teneros nova pignora  
 natos

Perditis & nostra perditis illa manu.

Impie Rex cujus faciunt nos iussa nocentes:

Eheu quod miseras non satis esse fuit.

An quoniam pulchros metuit gens barbara  
 foetus

Mergere, rem facilem matribus esse putas?

Ergo parve puer liquidum dabit unda se-  
 pulchrum

Et nihil hos menses delituisse juvat?

Hæc te canna tegat, pereas dum flumine flu-  
 men

Augebunt undis lumina nostra novis.

Adscribam tumulo: Jacet hic mandante  
 Tyranno

Parvulus Amramides. culpa fuisse fuit.

## M O S E S

*Mare rubrum transgressus.*

**V**icimus & tumidum fugiendo stravimus  
hostem,

Hunc, modo qui terram texerat, unda  
tegit.

Credito posteritas: terra portuq; relictis  
In medias ruimus, ne pereamus, aquas.

*M O S I S Epitaphium.*

**F**orte quis hoc jaceat tumulo scitare Via-  
tor;

Hoc tumulo Moses non jacet atq; jacet:  
Nemo scit & quivis jaceat qua parte sepultus,  
Pro tumulo mundum vir sibi magnus  
habet.

In terra tumuli non est locus, ille sepultus  
Est tamen, est tumuli maxima terra loco.

## A d S I S S E R A M

*à femina Jael interemptum.*

**V**ictus & excedens acie fugis, illa cha-  
rybdis,

Confugis ad Jael, hæc tibi Scylla fuit.

## J E P H T E S.

*Filie obvius.*

**M**e miserum! tantine fuit sperare trium-  
phum?

Hei mihi quos luctus filia lata moves!

Sic

Sic servat fortuna fidem? sic gaudet eodem

Marte foris hostem perdere nosq; domi?  
 Scilicet infesto rorantia tela cruore  
 In mea converti viscera vota jubent.  
 Vota jubent, nihil hic aut nomen dulce parentis

Impedit aut soboli debitus obstat amor,  
 Filia quid plaudis? vicit tuus hostis & hosti  
 Pergis in amplexum prima venire tuo.  
 Hæc pietas vetat esse pium, salve optima virgo.

Et Jephthem sed non credere redire patrem.

FILIA *respondens.*

Vota fidem poscunt, votum pater optime solve,

Et vili constet publica morte salus.  
 Nec querere orbatus patriam qui servat adoptat;

Te vocitet pro me patria salva patrem.

S A M S O N

*Edita inter Philistæos strage sitiens.*

A teneris vestrum sitii, gens dira, cruorem,  
 Nunc tamen accendit non levat iste sitim.

Hei mihi cur vici? jam vobis invidet hostis  
 Qveis licuit forti procubuisse manu.

Ergo

Ergo summe parens nostro victoria constat  
 Funere quam, vires te tribuente, tuli?  
 Jam fitis insurgit stratosq; ulciscitur hostes,  
 Nec patitur clara fundere voce preces.  
 Affer opem, nequeunt jam guttura rauca,  
 periculum  
 Jam poterunt nostrum guttura muta  
 queri.

Ad GAZÆOS

*Quorum portas abstulerat Samson.*

Ut maneat Samson portam clausam ære  
 tenetis,

Ut maneat potiùs porta, tenete virum.

AD SAMSONEM.

*Robore miraculoso ab hostium laqueis se  
 expedientem.*

Fortia vimineo religaris brachia nexu,  
 Vimineos spernunt brachia firma dolos.  
 Stuppea vimineis succedunt vincula nodis  
 Stuppea discerpis robore vincla pari.  
 Cincinnis clavisq; ligant, utrosq; revellis.  
 Num quid adhuc hostis quod sibi speret  
 habet?

Ah habet & si vimineos contemnere nosti,  
 Famineos nexus, Vir generose cave,  
 Abrumpis laqueos odium quos nexuit ho-  
 stis,

Si sapis hos rumpas quos tibi nectit a-  
 mor, Ad

## Ad Eundem.

*Cum in sinu Dalilæ tenderetur*

Quid juvat hostilem roties superasse Cha  
rybdin?

Quem nequirit laqueis hostis, amica capit.  
Dum facit illa tibi quod fecit Scylla parenti,  
Tunc tibi tunc verè Dalila Scylla fuit.

## Ad Euudem.

*Amisſis Crinibus captum.*

Nil agis, amisso coeuntes robore nodos  
Parce fatigata sollicitare manu.

Victus es invictus gladiis vinculisq; virorum  
Fœmineis armis, forfice, fraude prece,  
Formidat apriùs jam robora despicit hostis  
Ereptisq; pilis non facit illa pili.

## SAMSON.

*Moriturus.*

Hæc quoq; ferre Virum? timido gens per-  
fida furto

Eripuit membris robora prima meis,  
Eripuit lucem, nunc crimine pejus utroq;  
Vult scelus & nostris lætior esse malis.  
Atqui natus erā te perdere, dira propago,  
Nec minus ut perdam nunc moriturus  
ero.

Daveniam neq; sit Samson tibi, patria, tanti  
 Ut tibi qui noceant tot superesse velis.  
 Plena viris domus est dignum factura sepul-  
 chrum:

Non cupiam tumulosplendidiore tegi-  
 Ut pereant fractis arx me obruat alta co-  
 lumnis,

Jam succumbendo denique victor ero.

H A N N A *sterilis.*

**E**rgone sollicitam semper me sacra Silohe  
 Accipiet lacrymas aspicietqve meas?

Nec Deus aspiciet, semper ne occlusa dolebo  
 Viscera, nec titulo digna parentis ero?

Da nomen tam dulce mihi, da pignus a-  
 moris,

Hoc tibi pro gratæ pignore mentis erit:  
 Quem dederis sacrabo tibi; nunc annue  
 votis;

Et mihi si non vis, da, Pater alme, tibi.

S A U L L U S in Regem unctus

*Ad Patrem.*

**V**idisti genitor natum, nunc aspice Regem  
 Nunc alium patriæ cerne tuumq; pa-  
 trem.

Non asinum reperi, reperi quodcunq; bo-  
 norum

Possidet Hebræigens opulenta soli.

Erro

Error in has me duxit opes sceptroque beavit,  
 Dum nobis errans bestia monstrat iter.  
 Quid nunc invento genitor lætatis a fello?  
 Utilior nobis perditus ille fuit.

## G O L I A T H I

*Epitaphium.*

**I**lle palæstinis Dux formidabilis armis, 2  
 Non veritus cœlo bella movere Gigas 2  
 Hic jaceo pars trunca mei; non igne trifulco 2  
 Non mihi fulmineo contigit ense mori: 2  
 Frons fuit exitio lævi perfracta lapillo. 2  
 At nisi cum perii frons mihi nulla fuit, 2

*Aliud.*

**C**ontemptor ille cœli trux, lævus, minax;  
 Moles tremenda timido, turris carnea  
 Subito peremptus G O L I A T H fato hic jacet  
 Morbum viator quæris? obiit calculo,

## S A U L U S,

*Moriturus.*

**E**rgone se precibus mors implorata negavit?

Ergo venire mihi certa venire timet?  
 Restat ut ipse meo lanem mea vulnera  
 ferro,

Abfit ut hac madeat cæde prophana ma-

*nus,*

Si



Si puer officium trepidus fatale recusas,  
 Auxilium nobis hic feret, ecce, chalybs.  
 Corpora victores cædant vulgaria, Sauli  
 Prostrati titulum non nisi Saulus habet.

*Achitophel & Judas Ischariotes.*

**D**avid Davidico nati de stemmate Christi,  
 Achitophel Judæ vera figura fuit.  
 Ad laqueum Achitophel Dominum quia  
 prodere nescit,  
 Ad laqueum Judas, sed quia prodit, abit.

*Absalonis & Samsonis Comparatio.*

**A**bsalon ipse suis capitur moriturq; ca-  
 pillis,  
 Detonsis capitur Samson obitq; suis.  
 Absalon amisiss poterat vixisse capillis,  
 Servatis Samson saluus abire suis.

*Ad Absalonem.*

**N**on ornamentum capiti sed pondera ge-  
 stans  
 Diceris exuviis intumuisse tuis.  
 Cum caperet propriis quercus te celsa ca-  
 pillis,  
 Quàm cuperes emtas tunc habuisse co-  
 mas?

*In Absalonem pendentem.*

Quid

Quid mirum jam pœna malos si claudax  
sequatur?

Aspice, pœna malos nunc quoq; manca  
capit.

*Achitophel pendens.*

ACHITOPHEL ἀνάγχε HIC PATEO L

Hic pateo proprii monumentum triste  
furoris,

Non mea commeritus marmor ut ossa  
tegat;

Sum funus tumulusq; mihi pœnasq; Davidi  
Exitio meritis conveniente dedi:

Perdidi ubiq; fidem cum nomine, sola sue  
perstes

Quam de me facerem litera longa fuit:

SALOMON

*Ad uxores.*

Non Peor Isacidum meruit non Astharoc  
aras,

Nec mea Niliacus templa prophanet Apis

Vos ego fidereo conceptæ semine formæ,

Vos, licet invidiant numina vestra, co-  
lam.

Non placet hoc, vestrosqve Deos mavultis  
adorem?

Parco, sed quamvis parco malo Deas.

B

Ma

Mater pueri de quo lis erat

*Ad Salomonem.*

**S**ic tribuis Rex cuique suum ? sic dividis  
æquum ?

Hei mihi ! de vivâ quæstio prole fuit.  
Dividat hanc gladio licet ? cadet utraqve  
causâ,

Quique utrinque cupis nullibi justus eris.  
Huic potius concede meam , Rex optime,  
prolem ;

Vivat , & ut vivat desinat esse mea.  
Nolo meæ quicquam sobolis, plenam opto  
repullam.

Et precor ut mihi, Rex, quod precor om-  
ne neges.

*ELIAS ad rivum à corvo alitur.*

**E**cce sacer vates iussu requiescit ad amnē,  
Et sua sed corvo prandia dante capit.  
Quid metuas mens sancta famem ? cum ius-  
serit æther,

Qui ferat innocuis fercula raptor adest.

**Mortuus.**

*Tactis Elisæi ossibus reviviscens.*

**V**iventi mortem defuncto debeo vi-  
tam,

Me faciunt ludum vitaq; morsq; suum.

Sto

Sto, cado, sto; poterat morti me trade-  
re vivus,

Reddere me vitæ mortuus, ecce, potest.

*MANASSES restitutus.*

Qvem modo præcipitem laxis turor egit  
habenis

Et scelus & tectum relligione nefas;

Qvem cruor innocuus plateis effusus &  
aris

Qvem soboles fecit sacrificata reum;

Impetro Manasses veniam: me liberat hostis

Dum capit & ferro crura manusq; gravat.

Dum tenet immotû nexu me carcer ahenò,

Tunc moveor justum confiteorq; Deum.

Tunc moveor, tunc ille ferox per vincula  
flector,

Dum quæ me prohibent flectere vincla  
gero.

*SEDECHIAS*

Liberorum necem iutuens

*Ad Tyrannum.*

Ut moriar quoties morientia viscera spe-  
cto,

Differor & post tot funera cæcus ero:

Nunc potius, truculente, oculos nunc eripe  
lucem,

Eripe, sic mitis, pœnaqve munus erit.

Heu furor ! heu crudi clementia sæva Ty-  
ranni !

Damnatus mortem flagitat , illa negat.  
Nempe aliquid gladiis flammisqve rotisq;  
scaphisq;

Pejus habet rabies ingeniosa , moram.

*Idem cum oculis Privaretur.*

Perdere jam superest mea lumina ? parcite  
ferro ;

Hoc faciet ferri lacryma fusa loco.  
Eripitis lacrymas ? melius lugere docetis,  
Nam fieri hæc solo sanguine fata decet ,

*In HAMANNUM.*

**M**ajores altis fiunt de montibus umbræ,  
Fit tecum fastus major , Hamanne,  
tuus.

Sed cave ne duplicet tibi gratia Principis  
umbras ,

Umbras cum duplicat Phœbus , Haman-  
ne, cadit.

*Ad eundem.*

**N**il nisi ventus erit tibi gratia Regis & aura:  
Inflat enim Regis te favor ille tui.

*In eundem Mardochei loco suspensum.*

**U**nicus ut pereat nequirit gens tota perire,  
Vivat ut hæc , melius Vir perit unus  
Haman.

JU-

## JUDITH

*Holofernem trucidans.*

**T**empus adest uno patriam quod liberet  
 i&u

Affyriumque suo dividat ense Ducem.

Jam sexum dedisce tuum, manus: occidat  
 hostis,

Et commista suo sanguine vina vomat.

Cor mihi donasti, quod nunc peto, mollis  
 amator:

Da caput, hæc voti summa caputque  
 mei est.

*In fugam Affyriorum*

En fugit abjectis trepidans exercitus armis:

Imperioque Ducis consilioque caret.

Spes decollato decollat Principe, plantas

Consulit, ἀκίφαλον dum videt esse caput.

SENES *lascivi:**ad Susannam.*

**Q**uæ nullo dare teste potes da gaudia  
 nobis,

Aut dubitas nobis si dare, fume tibi.

Nec tu canitiem nec amorem sperne fe-  
 nilem,

Nec tenues vires, venimus, ecce, duo.

## SUSANNA

*Ad Senes.*

**N**on pudet æterna canos aspergere labe?  
 Non pudet hac famam labe notare  
 meam?

Monstra senum! non hic amor est, insana  
 libido est,

Quam furor è stygii suscitatur igne rogi,  
 Hic ut in irrigvis se mundet & abluat undis  
 Non ut commaculet nuda Susanna sedet.  
 At neq; fraude minisve labat mens integra,  
 spernam

Tectos nuda, viros fœmina, sola duos.

## Ad Eosdem

*Cum educerentur lapidibus obruendi.*

**B**ini, monstra, Senes, probrum senectæ,  
 Impuri duo fomites amoris:

Vobis iste pilis vigor subistis?

Illa sub nive tantus ardet ignis?

Vos pulcherrima forma vos venustæ

Incendisse decor potest Susannæ?

Vos eburnea colla vos papillas

Genarumqve rosas manu trementi

Attrectare juvabat & salacem

Ævo vincere debili juventam?

At non sola fides pudorque castæ

Per vos sollicitatur, ipsa fama  
 Per vos vita periclitatur ipsa.  
 Instat debita pœna, vosqve vulgus  
 Ut plectat lapidem movebit omnem.

*Lux veritatis.*

**S**ermo Dei Lux est & lux Deus ipse vocatur,  
 Spectari hæc illa lux sine luce nequit.

### FIDES & AMOR.

**N**on amor, una fides in cœlum ducit, at x  
 illuc  
 Non tamen ipsa fides sed venit unus a-  
 mor,

### ORA & LABORA.

**U**t felix sit opus tuum, precare,  
 Ut felix sit opus tuum, labora.  
 Ceu nil proficerent preces, labora,  
 Ceu nil proficeret labor, precare.

### Ad ZACHARIAM

*De JOHANNE nato.*

**I**ncipe qui longum tacuisti denique fari:  
 Jam vocem conjux Elisabetha parit.

*De Officio Johannis Baptista.*

**N**unciat optatâ populo Baptista salutem  
 Appropere, viam præparat ille via,



## Ad CHRISTUM

*Nocturno tempore natum.*

**N**asceris in mediis, ô lux mea Solque tenebris,

Nox fugit insolitum nescia ferre jubar.

Cum medio tegit ora die Sol mœsta minatur,

Sol noctu visus lætius omen erat.

*Ad Eundem.*

**T**e nato nova stella nitet, res mira relatu  
Sidereas orto Sole venire faces.

*Homo lapsus & restitutus.*

**D**um male prandet Adam pulchrisque expellitur hortis,

Nos avulserunt crimina nostra Deo.

Dum Deus humanos, nos ut juvet, induit artus,

Conjungunt nobis crimina nostra Deum.

## Nomen JESU.

**O**mnia debebã neceram solvêdo futurus,  
Hoc nomen nomen me facit esse bonum.

## Ad beatam Virginem

*De Christo nato.*

**C**ùm sub te lateat, cùm te compleverit ille,  
Sis-

Sisqve, licet major visa fuisse, minor;  
 Sol puer & merito tu, Virgo, Luna voceris,  
 Ille tamen crescit, tu quod es ante ma-  
 nes.

MARIA ἀνάγε. MIRA. A.

**N**epenitus sis mira, parens ignara mariti,  
 Qui facit & nil non est potis, alpha  
 facit.

(DEUS α & ω)

MARIA ἀνάγε. AMARI.

**N**ostra Maria Venus non orta mari sed  
 amari

Dignior & melior quam Venus orta mari.

*Ad B. V. Mariam.*

**A**dmiranda Patris genitrix & filia nati,  
 Quotquot erant matrum maxima,  
 prole minor:

Magna parens, sexus ignara virilis & ipsum  
 Fœcunda pariens virginitate Deum.

Naturæ mundi que stupor cœli que voluptas,  
 Et dare quæ potuit gratia plena bonis:

Te stupeo, celebros, laudo, cano, miror, ho-  
 noro;

Sed colo (quis culpet?) quem colis ipsa,  
 Deum.

## MAGI ex Oriente

*Ad Christum.*

Accipe, parve puer sed sic quoque maxime  
Regum,

Parva sub eoo munera nata solo.

Arrides, blandoque probas pia munera vultu?

Ah satis est, grates accipiendo refers.

*Ad Magos ex Oriente.*

Vos pueræthereus stella latitante latebat,  
Postea vos auxit lux nova luce nova.

Magnus honos! fateor, cælo Duce quærere  
Christum,

Sed tamen & noster sic sibi constat honor:

Vos ad quæsitum deducant astra puellum,

Dum nos inventus ducat ad astra puer.

## Ad JOSEPHUM

*De Herodis insidiis in somnis admonitum.*

Insidias vobis vatri struit ira Tyranni,  
Insidias somno, tu monitore fugis.

Quem metuas Vir sancte? quies cui detegit  
hostem,

Et contra insidias excubat ipse sopor.

## RAHEL plorans.

Innocuos, teneros & adhuc à matre ru-  
bentes,

Cruore factos proprio

Aspi-

Aspiciam & lacryma cessem manante la-  
vare

Vani capax solatii?

Parcite nec lacrymas dulces prohibete so-  
rores

Nil profuturas fundere;

Nil ago tot lacrymis? hoc ipsum perdita  
plango

Tot lacrymis quod nil agam.

Ad HERODEM,

*De Johanne.*

**N**uncius æthereâ Johannes missus ab aula  
Aula docebat in tua;

Innocuum perimis; non hoc cæloq; Deoq;  
Est nuntium remittere?

Ad NICODEMUM,

*Joh. 3.*

*Quomodo potest homo nasci quum sit senex? num  
potest in ventrem matris suæ iterum in-  
troire & nasci?*

**Q**uod rogitas, quanquam stultum, Nico-  
deme, videtur,

Posse tamen fieri resq; fidesq; docent:

Mater humus nostra est, in eam post fata re-  
dimus, X

Concipit hæc vitæ nos paritura novæ.

*Dives Epulo.*

\* **V**ivamus, focii, dum vivimus, utitur annis  
 Qvi sapit & præsens quod finit hora  
 facit.

Vivamus, vitæque brevis sit norma voluptas,  
 Distribuat ludis hæc epulisque diem.  
 Nil animo nil dulce gulæ ventriq; negemus,  
 Dum fortuna nihil divitiæque negant.  
 Terreat incerti fatuos formido futuri,  
 Qvi capit in præsens quod sapit, ille sa-  
 pit.

*LAZARUS pauper.*

**S**ordida luxuries & inexorabilis aula:  
 Sic pateris vanas pauperis ire preces?  
 Sic pateris, Vir dure, graves spernisque que-  
 relas?  
 Quodq; fames optat nostra perire jubes?  
 Non epulas, fragmenta peto, fragmenta ne-  
 gantur,  
 Frustra precor, frustra: tollere frustra ve-  
 tas.  
 At quantum potuere juvant & putria lam-  
 bunt  
 Ulcera me meliùs pasta caterva canes.  
 Aut hominum canibus misereri disce ma-  
 gistris,  
 Aut me, ne pigeat pascere, crede canem.

Ad

## Ad PHARISÆOS,

*De Christo etiam Sabbatho die ægros sanante.*

Qvo Pharisæa cohors damnatis crimine  
Jesum?

Hocine quod vestro pellit ab orbe luem?  
An quia factorum sunt conscia Sabbatha?  
nunquam

Iste prophanabit Sabbatho sacra labor  
Sudorem damnate omnem damnate la-  
borem;

Nullus ei est ægrum restituisse labor.

## Ad Eosdem.

*scizon.*

Hic ille Jesus, voce dum fugat morbos  
Curatque promptus, quos vel æstuans fe-  
bris

Vel udus hydrops arida siti torret,  
Stillansque membris omnibus ligat gutta;  
Vel quos peredit, integraque semovit  
A plebe lepra, quos vel aurium fugit  
Vel lucis usus, quos & occupat toto  
Exercitu sævisissimus stygis Princeps;  
Hos dum focillat ille, sanat, expugnat;  
Quid musfitatis gens iniqua doctorum?  
Quid ista facta facta pulchra culpatis?  
Per tot labores impiamque virtutem

Sper-

Sperni querentes Sabbathum Deo sacrum.  
 Non iste spernit sabbathum labor, per quem  
 Tot luce sacra desinunt laborare.

### JERUSALEM JERUSALEM!

*quæ occidis Prophetas & lapidas.*

**U**t perimas omnes, Majorum more, Pro-  
 phetas

Omnem nunc lapidem moves.

Sipergis, veniet tempus quo deniq; nullus  
 Hærebit lapidi lapis.

### ZACHÆUS *resipiscens.*

**P**arvus homo sed pravus eram; monstra-  
 vit Jesum

Arbor & injustam spernere jusfit hu-  
 mum.

Accipio sub tecta Deum, justusq; probusq;

Utile suscepta damno salute nefas.

Ditior ut fiam cum paupere divido num-  
 mos,

Deceptisqve lucrum reddere lucra puto.

Me juvat ipsa salus; felix mihi contigit arbor:

Hac didici fructus arbore ferre bonos.

### FILIUS Prodigus

*Ad Patrem.*

**A**h pudeat quemcunq; piget cognoscere  
 mundum,

**Quem**

Quem juvat in patria consenuisse casa.  
Me rapit externum generosior ardor in or-  
bem

Quodque domi profit vult didicisse foris.  
Consilium genitor damnas? aurumque pe-  
tenti

Abnuis & stultum degeneremque vocas?  
Hoc ipsum maturet iter, sine pergere stultú,  
Fortassis sapiens, quando revertar, ero.

*Ad Patrem filii prodigii.*

Retineto filium, Pater; si non tenes,  
Tibi perdet ille filium, fiet nepos.

### AMOR & TIMOR.

Homines amabit quisquis amaverit Deum,  
Homines timebit nemo qui timet Deum,

### LAZARI à Christo resuscitati

*Epitaphium.*

Lazarus hic jaceo, bis natus: scemina  
mater

Prima mihi, tumulus altera mater erat.  
Bis vixi bis mortem obii, jam tertia vita  
Restat ubi plus est vivere posse semel.

*Vincula Christi.*

Vinctus eram & stygia captivus fraude te-  
nebar,

Vin-



Vincula, ne tenear, tu mea, Christe, subis.  
 At quæ me Stygio solverunt vincula nexu,  
 His ego devinctum me tibi, Christe, scio.

*Ad Malchum.*

Vincula paras Christo dextra cum pleæeris  
 aure,  
 Non truncanda auris sed tibi dextra fuit.

*Ad militum turbam Jesum capientium.*

Non manibus vestris quem ducitis, impia  
 turba,  
 Non vi non odio, captus amore fuit.

*Petri lapsus.*

Instat & instabilem terret mala foemina Pe-  
 trum,

Ille negat Dominum pernegat ille suum.  
 Peccantem hinc tacito facundior ore Ma-  
 gister

Inde monet cantu nuncia lucis avis.  
 Solvitur in lacrymas, Dominiq; ut molliat  
 iram

Ipsa cavaturas marmora fundit aqvas.  
 Desine Petre, tui nam desit ira Magistri,  
 Cum te luminibus molliit iple suis.

*Petrus de se.*

Perdam oculos lacrymis, perjura crimina  
 lingvæ

Oculi luant & eluant.

*Idem*

*Idem.*

**I**nfelix mihi nox fuit & carbone notanda.  
 Quæ carbone meum solvit & igne gelu.

*De Lacrymis Petri.***Ad Amicum Christianum.**

**P**eccarunt alii, sed eluerunt  
 Pœnitundine fletibusq; noxas;  
 Et pax post veniam reducta menti  
 Siccavit tumidos aquis ocellos.  
 Sed Petrum perhibent & impetratâ  
 Delicti veniâ tamen gementem,  
 Et facti memorem, canente gallo,  
 Æternis lacrymis rigasse vultum.  
 Quid hoc vult sibi? Christiane quæris,  
 An hæ sunt fidei speive guttæ?  
 An tristis, trepidantis, ambigentis,  
 Pressi pectoris anxiiq; proles?  
 Quid hoc est, lacrymas cadente Phœbo  
 Et Phœbo lacrymas novas reverso,  
 Et semper lacrymas canente gallo  
 Mœsto fundere nubiloq; vultu?  
 Quid hoc est faciem genasq; molleis  
 Salsis & madidis arare sulcis?  
 Et corrumpere lumina & ruborem  
 Ignitum dare lippitudinemq;  
 Atq; ipsam properare cœcitatem  
 Misellis oculis? Quid, inquis, hoc est?

C

Hoc

Hoc est (nunc tibi, Christiane, dicam)  
 Hoc est plus oculis amare Jesum.

PETRUS *resipiscens.*

Ad JESUM.

Sumne tuus, quem lingua tuum perjura  
 negabat?

Sumne tuus, Jesu, quem pudet esse tuum?  
 Non ego sum qui nuper eram, cum voce  
 feroci

Nulla recusantem vincula jacto fidem:  
 Tam fortem puduit saltem dixisse quis  
 essem;

Nunc iterum quis sim dicere, Christe  
 pudet.

PETRUS *ἀνείργε.* PR(O)TEUS.

Instabilis fidei tiro mox deniq; constans  
 Immotam servas ad tua fata fidem.

Quam bene ne Proteus sis & sine fine va-  
 cilles,

Litera quæ finem non habet illa deest?

Ad JUDAM *desperantem.*

Nunc innocentem sanguinem  
 Te prodidisse pœnitet?

Hoc innocenti sanguine  
 Si pœnitet sis innocens,

## JUDAS DESPERANS.

Quisquis eris tua quem condemnant cri-  
mina, spera :

Tibi Redemptor contigit ;

Non mihi ; non meus est non est meus ille  
Redemptor :

Non est meus quem vendidi,

## AD PILATUM.

Detrahis ipse fidem tibi dum nescire fa-  
teris

Quid sit, Pilate, veritas,

Quod modo clamabas : infontem vivere  
Jesum,

Hæc est, Pilate, veritas.

## Ad Eundem.

*Manus Lavantem.*

At nunc innocuo maculatam sanguine  
dextram

Unda lavat, frustrâ ; polluit unda magis ;

Si sceleris piget & mundari serius optas,

Hoc quo te maculas sanguine mundus  
eris.

## AD CHRISTUM.

*Cruci affixum.*

Sic genitor placandus erat, dulcissime Jesu !

Hei mihi ! nunc quid sit crimen & ira,  
patet.

Quàm

Quam dolet hanc nostrâ te mortem oc-  
cumbere culpâ!

Pro culpâ nostrâ quàm subiisse juvat!

*Aliud.*

**F**ecimus has pœnas tibi nos non solus A-  
damus,

Et nostrum est, quicquid fecit Apella,  
scelus,

Sed morimur nisi tu moriaris, ut ergo lice-  
ret

Vivere, debuimus bis meruisse necem?

**CHRISTUS.**

**VIA ET VITA.**

*Crucifixus & Mortuus.*

**V**ult sursum tolli Via qua conscenditur  
æther;

Vult, ne mors possit vivere, Vitamori.

**IN CHRISTI CRUCIFIXI  
IMAGINEM.**

*Ad Spectatorem.*

**A**spice ferali pendentia corpora ligno,  
Aspice, res curas exigit ista tuas.

Quis patitur? cæli Dominus, quid? vincu-  
la, plagas,

Flagra, crucem, clavos, scommata, spu-  
ta, necem.

Qui

Qvi pœnæ focii pendent utrinq;? latrones.  
 Et quid flagitii fecerat ille? nihil.  
 Et tamen hunc audet Manus impia tollere?  
 tollit.

Cujus erat facinus tam furiale? tuum.

## MARIA MAGDALENA.

*Sub Cruce.*

**H**oc erat injusis toties quod fluxit ocellis  
 Lacryma, non solo crimine mœsta  
 fui;

Mens tanti præfaga mali tot fundere rivos  
 Lumina fluminæ more coegit aquæ.  
 Parcite jam lacrymæ; satis heu! tot fleti-  
 bus actum est;

Non tibi jam lotos imputo, Christe, pe-  
 des.

Heu! malè tam mundum lacrymis scelera-  
 ta lavabam;

Me meliùs tuo sanguine, CHRISTE, la-  
 vas.

Et Petræ fissæ sunt &c.

*Ad Peccatorem.*

**T**risti funere flebiliq; tato  
 Movetur lapis ipse, tuq; duro  
 Stabis pectore? pro salute cujus  
 Servator lapidem movebat omnem.

## JESU CHRISTI

*Epitaphium.*

**P**lange, dole, mirare, stupe, lætare, Viator,  
 Quisquis es; hoc tumulo mortua vi-  
 ta jacet.

## In sepulchrum CHRISTI,

*Mortis Epitaphium.*

**M**ortuus hoc nemo, sed mors jacet ipsa  
 sepulcro:  
 Intulit huic meritam vita peremta ne-  
 cem.

## AD MULIERES.

*Christum ungere volentes.*

**P**arce, benigna cohors; non est opus un-  
 gere Christum,  
 Vivit & ille unctus jam fuit antè Deo.

## SAULUS CONVERSUS.

**I**mpia me pietas ferventi cæca furore  
 Egerat in clades, sancta caterva, tuas;  
 Jam rabies accensa novum sperare cruorem  
 Et tibi funestas jusserat ire vias.  
 Sistit iter vox missa polo, sternitq; tremen-  
 tem  
 Fulgida lux; hostem disco coloq; meum.

Eripuit

Eripuit lucem mihi lux, tenebræq; tenebras,  
Hinc rectam didici cæcus inire viam.

*Piæ animæ solatium.*

**Q**uid quereris mens ægra? crucem quid  
ferre gravaris?

Quo plus tristitiæ gaudia plura feres,  
Disce pati: mera lætitiæ sunt semina luctus,  
Solamenq; mali non leve, multa pati.

*RESPICE FINEM.*

**V**ivere disce, mori qui vis aliquando bea-  
tus,

Qui benè vis olim vivere, disce mori,

*Quo fugiam à spiritu tuo Domine &c. Ps. 139.*

**Q**uæ fuga me eripiet Domino, qui regnat  
ubiq;

Et premit occultos quolibet orbe reos?  
Dissuadet timor ipse fugam. Justissime  
Vindex:

Ad te confugio, ut te miser effugiam.

*Quando veniam & apparebo ante  
faciem Dei Psalm. 41.*

**N**ondum lux venit illa, quæ tenebris  
Exemptum jubeat videre lucem?



Nondum lux venit illa, qua venire  
Me velis, pie Christe, gaudioq;  
Hos incredibili bees ocellos?  
Ocellos tua quos videre templa,  
Tuo quos cupiam frui decore,  
Quos huic eripiam libenter ævo,  
Quos, ut te liceat videre, claudam.

## LIBRI PRIMI.

FINIS.



HENRI.



HENRIGI HARDERI  
EPIGRAMMATUM  
LIBER SECUNDUS.

AD SERENISSIMUM AC POTENTISSIMUM  
DANIÆ NORVEGIÆ VANDALORUM  
GOTHORUMQVE REGEM

FRIDERICUM  
TERTIUM  
Regnorum Hæredem.  
ANNO M DC LX.

I.



Ntea Te Regnis dederat, FRI-  
DERICE, duobus;  
Nunc, Rex Magne, Deus dat  
duo Regna Tibi.

Gloria magna fuit fieri meruisse Monar-  
cham,

Maxima non fieri commernisse fuit.

C ;

II. Da-

## II.

**D**ania post varios pacis bellicque labores  
 Dum querit meritis præmia digna  
 Tuis:

Dum querit miseris bellorum fracta ruinis  
 Quo valeat recipi paxque salusque  
 modo:

Donavit Tibi se totam, FRIDERICE, fuit-  
 que  
 Utis ipsa sibi, quò tibi grata foret.

## III.

**C**um novus Hafniacis instaret mœnibus  
 hostis,

Et dubio hæretet cardine Dana salus : —  
 Nolebas sine cive Tuam servare salutem,  
 Nec sine Te poterat Civis amare suam.  
 Nunc meritis actura Tuis pia Dania grates  
 Sceptra offert generi perpetuanda Tuo.  
 Danorum gratus virtutibus esse tuorum  
 Si cupis, oblatum tu diadema cape.

## IV.

**N**on majora potes patriæ dare munera,  
 quàm quod

Munera Rex facilis quæ dedit illa capis.  
 Tunc etenim sese prope perdita visa recepit  
 Patria, cum tibi se, Rex FRIDERICE,  
 dedit.

De

## De Obsidione Haffniensi

*Ad Regem.*

**H**ostis adest, spectat desertam mœnibus  
urbem,

Dum parat ingressum, mœnia nata videt.  
Dum stupet, urget opus nostri solertia  
Martis,

Eluditque truces vis inopina minas,  
Nunc Amphionios ne jactet fama labores,  
Aut testudinea mœnia structa fide.

**N**am multò brevior morâ, Rex magne  
tuorum,

Tu quoque struxisti mœnia tanta fide.

## De falcibus messoriiis.

*Quibus in obsidione pugnatum.*

**V**idimus innocuæ falces insignia Pacis  
Officium Marti prostituisse suum.  
Scilicet ut pulsus pacem Mars redderet ar-  
mis,

Vincere, Pax, armis debuit ille tuis.

*Aliud.*

**F**alce hostem metimus, vigilantibus ad mœ-  
nia Marti

Damus arma paci debita.

**Q**uod fuit antè nefas, alienæ hoc tempore  
mesii

Cum laude falcem immisimus.

*Aliud*

*Aliud.*

**S**i modo belligeras sublato fœdere gentes  
 In nova sollicitet prælia Martis amor,  
 Non opus ut rigidum falces conflentur in  
 ensem,

Arma, Gradive, tibi pax satis apta dabit:  
 Ense tuo meliùs cumulabunt funera falces,  
 Quoque solent numero tritica, colla me-  
 tent:

Discite qui sapitis pacem quoque posse  
 nocere,

Et Dominæ mores arma secuta suæ.

*De Obsidione.*

**H**ostis adest, nudam muris sibi destinat  
 urbem,

Sed cita se tollunt mœnia, fervet opus.  
 Fervet opus, removent damnosa suburbia  
 flammæ,

Nec tantum fervet sed simul ardet opus.

*Academia armata.*

**A**onidas etiam fortes Phœbique cohortem

Sumere depositis vidimus arma togis.  
 Nec metuisse sacras hostili sanguine dextras  
 Tingere, nec proprio, Svece, cruore tuas.

Hoc

Hoc est quod Phœbum non solis vivere Mu-  
fis,  
Sed quibus & pugnet spicula ferre ferunt.

De pugna navali.

*In freto Codano. M DC LVIII.*

Occupat angustas prior hostis in æquore  
fauces,

Et clausum Batavo classe coronat iter.  
Hinc atque inde rates, castella hinc inde  
minantur,

Per medias tantum rima patebat aquas.  
Agnovit solitum virtus iter, ivit & ultrò  
Hostibus angustas fecit utrinque vias.  
Hostis utrinque perit, tua nostræ fida sa-  
luti

In Medio virtus salva, Batave, stetit.

DANIA, ἀνάγρ. DIANA.

Me prope furtivus nudam conspexerat  
hostis,

Inque ipsos trepida venerat urbe sinus.  
Extimuit sua probra pudor; sed nervus &  
arcus

Telaque sueta meas destituere manus.  
Nos aqua, nos ignis socia virtute tuentur,  
Et quicquid præsens hora locusq; dedit.  
Ille fugit cervo similis quem Delia Virgo  
Cominus aspersa de Duce fecit aqua.

Pœna

Pœna tamen diversa placet: nova cornua  
nulla

Sed quibus irruerat cornua fracta refert.

DAVIDIS & TRAJANI

LAUS.

AD AUGUSTISSIMUM REGEM

CHRISTIANUM  
QVINTUM.

Nil Hebræa dedit melius DAVIDE vetu-  
stas,

Romana TRAJANO nihil.

Hos laudare duos dum Phœbus nititur, uno  
Cum CHRISTIANO comparat.

Ad Eundem.

*Ordinis Equitum stelle in Dania Authorem.*

Quid mirum venisse Tuas ad sidera lau-  
des?

Vidimus ad laudes illa venire Tuas.

Vive diu terris: nam sidera ne citus optes,  
Ipsa ad Te veniunt sidera, vive diu.

In Fortunam.

CAROLI II. Magnæ Britanniae Regis:

ANNO M DC LX.

Cerravere diu Virtus Fortunaque Regis  
Secula cui paucos prisca dedere pares.  
Vicit

Vicit io! Virtus, Fortunaque victa recessit,  
An potius vetita est cedere? victasterit,

*Olivier Cromvellus.*

**I**lle crucem sceleris pretium tulit, hic dia-  
dema,

Felix infelix Cromvel: utrumque tulit:

*Dives & bonus*

**D**ives erit qui se ditem satis esse putabit,  
Ille bonus qui se non satis esse bonum,

*Votum sapientis:*

**O** felix sapiens! quodcunque rogabit ha-  
bebit;

Nempe nihil nisi quod fas sit habere, ro-  
gat,

*In statuam Laocoontis quae Romae visitur.*

**L**aocoonta senem cupiit qui reddere vitæ,  
Reddidit ad pœnas suppliciumque fa-  
ber.

**Q**uem miserer prius hic? natos? miserum  
ne parentem?

An stupeam colubros horrida monstra  
duos?

**H**ei mihi! quam saevo stringuntur corpo-  
ra nexu?

**Q**uamque venenato vulnere membra tu-  
ment?

Quam.



Quamque diu heu! frustra miseri frustra;  
repugnant?

Alteriusque alter morte suaque perit.  
Spirantes tristi pallent in marmore vultus,  
Jamque notas vitæ deficientis habent.  
Omnia viva dedit manus ingeniosa Myro-  
nis,  
Vox tamen una deest? hanc tibi, fama  
dedit.

*Ad Jovem bovem.*

Stulte quid Europam ficti sub imagine  
tauri

Ludis? amatorem mavolet illa virum.  
Candida cum vaccas inter tua mugit lo,  
Tunc tauri speciem sumere tempus erat.

In sylvam Meditationum sacrarum

DNI. FRIDERICI BRANDES  
*Ecclesiastæ Aulic. Nicop.*

Quæ Babyloniâ suspensa vireta colum-  
nis

Surgere barbaricus jussit in astra labor  
Jam stupeat qui vana sapit, cui sidera curæ,  
Ecce novum nostro spectet in orbe ne-  
mus.

Dantur hyperborea viridaria digna sub  
arcto,

Præ quibus Eoæ sordeat artis opus:

Nam

Nam neque se fragili sustentant pendula  
Saxo,

Nec sterili debent quæ genuere solo.

Fundamenta ipsi referunt & semina cælo  
Æthereoque fovent germina digna satul  
Explicat hæc varias virtutum culmina fron-  
des,

Divinoque omnes nectare silva rigat  
Hoc Amor hoc Virtus Candorque Fides  
que renasci,

Hoc Pietas superis gaudet amica solo.  
Huc pia mens, seu te sudantem lenior aura,  
Seu tenebræ virides & juvat umbra, veni.  
Hic æstum Zephyrus divinæ mitigat auræ,  
Hic tibi viva, sitim quæ levet, unda fluit.  
Hic lege laudata quot cernis in arbore fru-  
ctus,

Et fuge quot vetitos hic paradifus ha-  
bet.

At tu perge sacra, BRANDES, Virtute diuq;  
Nostra beatorum secula crescat opus.

Perge Semiratio nil concessure vireto  
Sideribus sylvâ proximus ire tua.

Si qua fides, hodie quoque dant miracula  
sylvæ.

Quis putet? en vatem me tua sylvæ facit.  
Olim sunt sylvæ Rhodopæia plectra secutæ,  
Carmina sunt sylvam nostra secuta tuam.

*Ad Eundem.*

Cùm secundis nuptiis sibi jungeret  
lectissimam Virginem

**SOPHIAM ELISAB.**

**Rehsfeld / Anno M DC LXIV.**

I.

**F**ulsit dicta dies, veniunt ad fœdus aman-  
tes,

Idaliisque sacris & sibi plaudit Hymen,  
Plaudit Amor tantique placet sibi laude  
triumphi,

Plaudit amans neque sic succubuisse ti-  
met.

Sic vinci vicisse fuit, superare Sophiam  
Tanti erat, ut Sophiæ cedere vellet amor.  
Victus uterque tamen vicit, jam Conjuge  
vivet

Ille sua felix nec minus illa suo.  
Quam benè quæ nubit BRANDI sapientia  
dicta est!

Qui ducit SOPHIAM quam sapienter  
amat!

II.

**S**ic lacrymas terfisse juvat sic ire dolores,  
Verbaque de thalamo nulla priore  
queri.

Sciliç

Scilicet erubuit tandem Fortuna, sibi que  
 Quod licuit cuperet non licuisse nefas.  
 Qua licet, excusat; vacui fastidia lecti  
 Dum fugat & viduos non finit esse to-  
 ros.

Perge tuis, Fortuna, bonis meliorq; perennā  
 na,

Sic poteris famæ consuluisse tuæ.

Nos tibi blandimur, ne nobis dura beni-  
 gnos

Invidias vultus, nos manet iste labor;  
 At Brandem placare tibi veniamq; mereri  
 Quo potes officio quoque favore, tuum  
 est,

## III:

**T**empore virgineis quo Sol amplexibus  
 hæret

Dilectasque timet deseruisse domos;  
 Hæc Phœbum videt ora novum, flagrantia  
 Brandes

Gaudet virgineo corda levare toro:  
 Quam benè te Phœbo similem facis? alter  
 Apollo:

Quam benè fidereas æquat Elisa Deas?  
 Restat abhinc nono videas ut mense GE-  
 MELLOS,

Hæc etiam Phœbum parte referte juvet:

*Ad Generosum ac Nobilissimum.*

**DN. DIEDERICUM  
SCHULTE,**

Finstrupii Hæred.

**Ab exteris in Patriam redeuntem**

**ANNO M DC LXIV.**

**E**rgo dies rediit qua te redeunte beemur,  
Delicium SCHULTI gentis honorque  
tuæ?

**E**rgo ades & tanto dignissima pignore Ma-  
ter

Mirandi causas lætitiæque videt?

**E**t rediisse suum tandem pia patria civem  
Lætatur, talem te rediisse stupet.

**J**am plaudit jam plectra movet Parnassus,  
& ipsa

Æstuat in laudes ire Thalia tuas;

**S**ed tennes queritur vires & quicquid ho-  
norum,

**Q**uicquid habet laudum te videt esse mi-  
nus.

**N**ominis ergo tui quod laudes exprimat,  
ipso

**N**il reperit melius nomine Musa tuo.

**DIE.**

---

DIEDERICUS SCHULTE.

*ἀνάγρ.*

REDIT SEculi DECUS,

---

In Imaginem.

*Generosissimæ Matronæ*

ANNÆ MARGARETÆ A  
GOTZEN.

Finstrupiæ Dominæ

*Anno 1662.*

**S**ic habitat Virtus, quam præfert GOT-  
ZIA vultu;

Hic pudor hæc ista gratia fronte sedet.  
Hæc roseis nix mista genis, ipsamque ju-  
ventam

Ætatem facie dissimulante refert.

Non Helenam non Penelopen jam Græcia  
jacet:

Hujus in hac mores illius ora vides:

*Ad amicum apud exteras agentem*

*Anno 1663.*

**D**um tua te magnum ducit Fortuna per  
orbem,

Me mea Finstrupii limite claudit agri.

Dum tua te merito virtus illustrat honore.

Torpet in obscuro nostra latetque solo.

Ampla tibi legitur doctrinæ messis, in agro

Barbaries nobis rusticitasque redit.

Cætera dissimiles, inimici crimine fati.

Quod superest, solo simus amore pares;

AD D. CASPARUM KOLICHEN

*De gutta Disputantem.*

**A**cre malum, plures quod rodere corporis  
artus

Novimus, à solo cur pede nomen habet?

Quam Bacchi liquor & falso Venus edita  
ponto

Progenerant, dici non malè gutta potest.

Gutta sed Oceanum multis paritura do-  
lorum,

KOLICHIO tantum gutta benigna meor

Tu melius guttæ nomē, CASPARE, dedisti;

Gutta tibi nomen clarius ista dabit.

*In ejusdem lauream doctoralem.*

**N**on aliter summo capitolia sacra To-  
nanti

Ausonius niveis victor adibat equis.

Scandit Apollineos victrix industria colles

KOLICHIMUMQUE novo culmine sistit

HONOR.

Stat Virtus spectatque sui decus alta tri-  
umpho,

Stat labor & meritis debita dona refert;

Maçte novis, CASPARE, bonis & nomine  
fausto!

De nece de morbis iste triumphus eat:

Ipse

Ipse pari titulo te Phœbus adoptat ut orbis  
 Famaque te talem qualis es esse sciat.  
 Scit mundus neque fama tacet; astigia Phœ-  
 bo

Proxima nec Musis inferiora tenes.  
 Nec mortem tuus horret honor nec fama,  
 vetabit  
 Et tua te Virtus & Medicina mori.

Ad Aristippum.

*Aurum abjicientem.*

**N**on opus ut perdas auri, stultissime!  
 munus.

Illud perdiderat qui tibi cunque dedit.

AD JOHANNEM MOLLERUM

J. U. D. quondam in Hafniensi Acad.

Prof. P. cum Flensburgi

Consul fieret.

**E**rgone hyperborei pars hæcenus ampla  
 Lycæi,

Quem sibi jam proprium fecerat alma  
 Themis:

Destituis quas magna suo fovet Hafniæ  
 portu?

An potius transfers in loca nostra Deas?

Jamque tuis pateris titulis accedere fasces  
 Et nostra Consul figis in urbe larem.



Municipes gaudete mei: vos candida virtus,  
 Vos Doctrina Fides & Themis ipsa regent.  
 Hic vir hic est urbem cujus sapientia no-  
 stram

Gaudet in antiquum restituisse decus.  
 Maeste Pater! vacuet jam curia nostra ca-  
 thedras,

Et media virtus se tua luce probet.  
 Explicuisse minor laus est quam tradere  
 leges,

Et dare jus majus quam docuisse decus.

Ad D. RUDOLPHUM MOTH

Vice Episcopum Fionensem  
 amicum veterem.

Dic quæso mihi dic, amice Mothi,  
 Quo te nomine rectius salutem.  
 An meum vocitabo te Rudolphum?  
 Rudolphum potius meum vocabo.  
 An meum Mothium vocabo? nolo  
 Sed meum volo Mothium vocare.  
 Cur? brevis mihi nolo sis amicus.

*Remedium amoris labora*

XOtia si tollas, periere Cupidinis arcus,  
 Quem requies fortem desidiofa facit:  
 Ignis amor si sit, frigescunt ignea motu,  
 Friget amor quoties sudat opusq; facit:

*Ad Pontiam fucatam.*

**N**arcissus propria formæ mutatus amore  
est,

Tuque odio formæ, Pontia, versa tuz;

*De Proclo & Cotta poetis.*

**P**roclus inops diti vendit sua carmina  
Cottæ,

Jam quod edat Proclus Cotta quod edat  
habet.

*Calendis Majis Anno 1664.*

**S**alvete magno, digna progenies Jove  
Fœcunda Ledaë sidera:

Salvete, Phœbum dum telluri dum novum  
Orbi decorem redditis.

**O**ver amœnum dulcis herbarum Parens!

O blanda nutrix temporis!

**O** mira cœli limpidi serenitas!

Pictusque pratorum nitor.

Ut nunc virentes ire per silvas juvat!

Aut fontis ad vitrei caput,

Qua fagus alto fundit umbram vertice;

Audire murmur rivuli.

Pugnasque vocum, dum nec una spinulo

Fringilla nec cedit paro.

Dum triste dolci Daulias queritur sono

Dirum perosa Tereum,

O mentis ingens languida solatium!  
 Spectare quo pingat solum  
 Natura cultu nuper astrictum gelu  
 Altaque velatum nive.  
 Audire mistum frondibus favonium,  
 Quas nuper orbarat notus.  
 Sic nempe certas læta miscet tristibus  
 Natura rerum per vices  
 O disce rebus semper immitis meis  
 Fortuna naturam sequi,

*In Lusciniam.*

3 **Æ**mula Musarum cantrix, innoxia Siren,  
 3 Non male Pieriis annumeranda  
 choris:  
 3 Vox nemoris, nova lingua loci, qua nemo  
 canente  
 3 Gutturis unius tot putet esse sonos:  
 3 Hæc tibi pro muto facundia contigit ore?  
 Fallimur? an tanti sic periisse fuit?  
 3 Jam linguæ secura tuæ secura pudoris  
 Deliciis hominum læta tuisque vacas.  
 3 Non sequeris credo sed ducis carmine sylvas  
 3 Ex quo threicium servat Olympus ebur.

*Ad Echo de morte Narcissi.*

**F**unera Narcissi Nymphæ lacrymentur, ac  
 Echo  
 Gaude, rivalis dum perit ille tuus.

*Ad Cæcilianum Grammaticum.*

**C**andor & albor idem tibi, Cæciliane, vi-  
dentur,  
Candida mens non est sed tamen alba  
tibi.

*Ad Priscum de Hermo.*

**R**oganti tibi, Prisce, dives Hermus  
Nummos mille negavit, at negavit  
Longe plus Proculo: negavit unum.

*Ad quendam*

**P**riuat<sup>9</sup> vivis sed enim dū Thaidā ducis,  
Accedis ad Rem publicam.  
Manibus

*Doctissimi Probissimiq<sup>2</sup> Juvenis*

**PAULI JUDICHERI**  
Amici intimi,

**S**iccine maturus moreris? me Paule relin-  
quis?

**O** animæ nunquam pars moritura meæ:  
Siccine mors nimix plectens virtutis hono-  
res

Esse senem prohibet dum putat esse se-  
nem?

**I**te meæ lacrimæ, caro date justa sodali,  
Ite, juvat madidis & decet ire genis.

Non

Non dolor hic siccos gemitus non arida  
poscit

Verba sed & lacrymas ; ire negant la-  
crymæ.

Parcite quæso tamen Paulini parcite manes,  
Nec sperate mea de pietate minus.

Eripit ipse sibi tantus solatia luctus,  
Ire dolor lacrymas qui jubet, ire vetat.

In Poemata Juvenilia

*Generosissimi Domini*

MAGNI SCHEEL

Dni, in Fusing &c.

Qvem nobis aurora diem tam lucida spon-  
det ?

Quantus ab exiguo proditur ungue Leo ?

Fallor ? an imberbi Musas sociare juventæ

Pergis & exemplo, Phœbe, favere tuo ?

Scheliadæ prætexta sapit, jam carmine Ma-  
gnus

Teutonicum facili peæine pulsat ebur.

Seu radius seu sit vegetæ scintillula mentis,

Eruptura suo tempore flamma latet.

In ejusdem JUDITH Tragoediam  
ex Germanico in Danicum sermonem  
elegantissime versam.

Mascula jam Dano graditur JUDITHA  
cothurno, Osten-

Ostentatqve suis triste piumqve nefas.  
Formosam facit iste cruor, torus iste pudicam

Monstrat, & æternum nox parit ista ju-  
bar.

Pro Patria fraus nempe licet si robora de-  
sint

Et vitio pietas insidiosa caret.  
Tu morere & toties proprio, Dux pessime,  
ferro

Occide, te quoties vivere Musa facit.  
Quæ placuit Juditha tibi jam vindice Ma-  
gno

Dana fit & titulo nobiliore placet.

### Ad Eundem.

*Cum studiis Geographicis operam daret.*

**H**oc quoq; restabat, magnum cognosce-  
re mundum,

Atque animo spatium par reperire tuo.  
De mundo jam disce loqui, doctissime  
Scheeli,

Mox de te mundus discet uterque loqui.

### Ad Eundem.

*Cum ad externos abiret.*

**N**obilis externas dum te rapit ardor in  
oras,

O SCHELI Patrii lausq; decusque soli:  
 I felix patriamque lubens fuge nobilis exul;  
 Sic reduci lætum gloria pandet iter.  
 Distribuit cunctis sese Prudentia terris,  
 Quærere quod Patriæ proffit ubiq; licet.  
 Extera te nostræ sapientia præparet aulæ,  
 Quodque domi doceas utile disce foris.  
 Dum Patriæ discas patria tibi vile carere  
 est,  
 Sic patriam patriæ spernere cogit amor.

*Scientiæ Genealogia.*

Filia non temerè Thaumantis creditur  
 Iris;  
 Invenit hic certam fabula ficta fidem.  
 Quas scimus rerum fuit Admiratio mater;  
 Illa cognitio nata Parente fuit.  
 Nascitur ex ista rursus admiratio doctis.  
 Mira eadem natæ nata Parensque suæ.

*La Mode.*

X Est modus in rebus, Vates ut Horatius in-  
 quit,  
 At modus in solis desit esse modis;

*Ad Momum.*

Sat rectum tibi, Mome, nil videtur;  
 Non vides bene, Mome, pejus audis;

*Ad Fabullam gravidam.*

**C**astam credidite esse te Philetas,  
 Dum Sponsam sibi te legebat unam,  
 Jam te deseruit tuus Philetas,  
 Jam ruptam quæreris fidem, Fabulla:  
 Quod te deseruit tuus Philetas  
 Prægnantes habuit, Fabulla, causas.

*Ad Lucium ingeniosè parcum.*

**Q**uæ tibi filiolo nutrix præfecta ferendo est,  
 Claudicat, alterno statque caditque  
 gradu.  
 Fallor? an hanc ideo placuit conducere  
 Luci?  
 Ut tibi cunarum non opus esset ope.

*Occasio.*

**R**es opportuna tardus si negligis hora,  
 Horaque resque perit; dum propè res  
 properes.

*Ordo in conviviis.*

**V**is minui numerum? magno præpone  
 minorem:  
 Majorem parvo præfice, major erit  
 IX. XI,



*Ad Danaos.*

**T**ros inquit : metuo Danaos & dona ferentes,

Et merito vestram non probat ille fidem :  
Cum datis aufertis viscato munere, vobis  
Ablativus enim est atque Dativus idem,

**In Laudem**

*Illustris ac Nobilissimi Domini*

**THEODORI LENTE**

**Cancellarii Regii.**

**THEODORUS LENTE** *ἀντίοχος*. **TE DELUS**  
**HONORET.**

**N**unc minus à genito se jactet Apolline  
Delos;

Nobilitat nostras alter Apollo plagas.  
Tu Phœbum, **THEODORE**, refers, regit ille  
Camænas,

Te quoque Pierides quem venerentur ha-  
bent.

Et tua non minùs est Prudentia gnara futuri  
Nec minùs auxilium ferre perita manus.  
Non patriæ te plura suæ præstabat Apollo  
Commoda, nec tetigit certius ille scopum.  
Omnia conveniunt; qui dignû dicere Phœbo  
Carmen amat, laudes colligat ille tuas.

*In Obitum Ejusdem*

**E**t licet hoc etiam mentitis nomina Par-  
cis?

Et datur hic sceleri jus, Libitina, tuo?  
Proh hominumque Deumque fidem! cla-  
rissima virtus

Occidit & tumuli carcere clausa latet.  
Occidit Arctoi lux fulgentissima regni,  
Ille manus Regis delictumque sui,  
Ille decus patriæ, solamen honorque suo-  
rum,

Et desiderii spes quoque magna mei.  
Occidit & lacrymas nobis lactumque reli-  
quit,

Nec licet hunc lacrymis nec revocare  
prece.

I nunc qui magno pulchri succensus amore  
Non interrupto tendis ad alta gradu.  
Virtutis grassare via, cape culmen honoris,  
Quoque voles meritis ingenioque veni,  
Quo tamen hæc? si nos nullo discrimine  
Parcæ

Serius aut citius sub sua signa vocant?  
Crudeles Divæ! THEODORO parcere sal-  
tem

Debuit, illæso stamine, vestra manus.  
Serius hunc rapitis? vobis irascitur orbis  
Non minus & veniam nostra Thalia ne-  
gat

E

Nil

Nil est quod canos annosque ostenditis;  
annos

Nestoris hunc decuit vivere; Nestor e-  
rat.

Sed laudum vitæque satur mortalia spernis  
LENTE, nec heu! gemitus vota que  
nostra probas.

Jam sordet tibi terra, tenes jam sidera, so-  
lum

Hoc tua se dignum gloria culmen ha-  
bet.

Vivet tibi, vir magne, loco quo vivere gaudes,  
In sobole hic Nobis vivere perge tua.

In Artem argutiarum.

J. Masenii.

Antè quod ingenii fuerat solius, in artem  
Cogitur, ingenii nec minus artis ope.

*Duo in carne una.*

Uxor amans & Vir caro fiunt unica, mon-  
strum

Qvale? Vir uxores sin amet, illa viros.

*In Aulum mendacem.*

Gum fatuis pueri dicuntur dicere verum,  
Nec fatuus dici nec puer Aulus amat.

*In Chrysalum Avarum.*

**S**ecula Mathusalam plusquam vixisse no-  
vena

Cum legeret nuper Chrysalus, ingemuit;  
Et secum: pulchrum ne, Virum vixisse tot  
annos?

Si sapuit quantas accumulavit opes!

*In Fabullum.*

**Q**ui scribit, inquis, versus quam facis  
malè!

Tu nil, Fabulle, scribis, & facis benè.

*In Anolbum poetam.*

**F**unera, natales, connubia, festa, calendæ  
Sunt seges & Musæ messis, Anolbe,  
tuz.

Et licet invita scribas plerumque Minerva,  
Et legat hæc rarus carmina, nemo petat,  
Tu tamen invitas invitas undique Musas,  
Adversus Musis dissimilisque tuis,  
Hæ, licet usque voces, tamen usque venire  
recusant;

Tu facilis, quamvis nemo vocavit, ades.

*In eundem.*

**S**emper repletus scribis jejunè tamen,  
Madidusque vinis aridè.

*Ad Labienum ex eadem societate.*

Seu nova te paphiâ produnt connubia  
myrto.

Cupressus mœstas sive stat ante fores,  
Seu prolem bona luce novam Lucina bea-  
vit;

Semper ades semper vota, Poeta, facis:  
Progeniem thalamis, defunctis gaudia  
cœli,

Mille recens natis secla diesque voves.  
At paucis tua vota solent obtrusa placere;  
Nempe sciunt voveas quid, Labiene,  
tibi.

*Vita humana.*

\* **T**àm facile est natum & vix natum posse  
perire.

Quàm facile efficies ex oritur mori-  
tur.

*Ad Virum laudatissimum.*

**S**i magnæ me laudis amor, Vir magne, te-  
neret,

Optarem laudes dicere posse tuas.  
Si tibi te dignas ego possem dicere lau-  
des,

Quæ posset laudes dicere lingua meas?

*Ad Clarissimum Virum*

M. GEORGIUM HILARIUM  
quondam Scholæ Hafn. Rectorem,  
Prof. Publ.

Pierios colles celebrataque vatibus antra  
Barbaries tumulis obruit alta suis.  
Phœbus & Aoniæ quid sunt nisi fama so-  
rores?

Ora Poetarum qui rigat amnis ubi est?  
Non ego Parnasi Dominum non flumina  
vidi,

Bellerophontæi quæ dedit unguis equi.  
Te vidi pendensque tuo tener ore, GEOR-  
GI:

Castalio flumen dulcius amne bibi.  
Se debet mea Musa tibi, tu noster Apollo  
Ingenio faveas ingeniose meo.  
Nec dubites gratâ quovis tibi tēpora Musâ  
Nec dubitet gratam se mea Musa tibi.

*Typographia.*

Luce beo multos; doctorum scripta Vi-  
rorum

Cum potuere premi, non potuere premi.

*Bibuli Epitaphium.*

Nec lacrymas, socii, nostris aspergite  
bustis,

Sed potius grati fundite dona meri:

E 3

Nec

Nec mihi tellurem mollemque optate le-  
vemque,

Qui vivus terræ non nisi pondus eram.

*In Liburnicum & Festum.*

**V**ir audire bonus non esse, Liburnice, qua-  
ris;

Non audire cupis, Feste, sed esse malus.

*In Ponticum luscum.*

*Lusca uxoris maritum.*

**L**uscus es & luscam duxisti, Pontice, Gal-  
lam;

Gaudet & ipsa viro nubere Galla pari.

Cæcus amor vos hoc conjunxit fœdere; re-  
gnum

Jam luscus inter, Pontice, cæcus habet.

*In Marculum.*

**O**mnes sollicitè custodit Marculus arcas,  
Neglectaque vetat posse patere sera.

Cogitur ire foras, servatis clavibus exit.

Quid metuit? ne quis cernat inesse ni-  
hil.

*In Cottam militem.*

**U**nâ Afini Samson maxilla perculit ho-  
stem;

Tu fugis, & tales sunt tibi, Cotta, dux.

*Ad Priscum calvum.*

Plura ego commisi quam gesto vertice  
crines

Crimina, tu verè dicere, Prisce, potes.

Divitiæ ἀνάγῃ Dii vitæ.

*Ad Chrysalum avarum.*

Divitiis dum vivis eges, dum vivis abundas. X

Quam tecum moriens omnia ferre velis!

Fallere, divitiæ tibi Dii sunt, Chrysale, vitæ.

Nullus erit tecum, cum moriere, DEUS.

*Ad Hermum.*

Quæ sanus retices cum potus es, Herme, X  
fateris;

In vino verum quis latitare neget?

Ut verum excutiat Logice, rationibus uti

Cogitur, hîc pulsâ quod ratione patet.

*Nova Roma.*

Obtinet antiquum Divisque angustat O-  
lympum

Perdere Roma homines sueta, creare

Deos.

*In Corbulonem Judicem.*

Corbulo nil cuiquam justî fecisse videtur:  
Justitiæ Judex Corbulo justâ facit.



## Fides.

*Ad Lenum Mercatorem.*

**N**ulla fides fidei vestræ, Line, debet ha-  
beri,

Dum calet in vobis nullus amoris amor.

*In Uxorem Poeti Chemiæ Studiosam.*

**U**xor docta tibi est sed non & gnara culinæ:  
Nil nisi sal, sulphur, mercuriusque cre-  
pat.

Hæc tria corporibus confirmat in omnibus  
esse.

Sal tamen huic ipsi sæpe ciboque deest

*Calculus aleatorius.*

**Q**ualiscunque ego sim refert nihil, albus  
an ater;

Sit bonus in pugna Dux mihi, victor ero.

*Præconium venale.*

**D**efunctos laudare solet sacra concio ci-  
ves,

Et puto permultos spes facit ista pro-  
bos.

Sed bona facta tubâ Christus vulgare veta-  
bat; †

Voxque faceret sicut dicitur esse tuba. \*

† Matth. 6. v. 2, \* Esai. 58. v. 1.

*Prodigus & avarus.*

**P**rodigus est auri Dominus sed servus avarus;

Crudeles Domini, servus uterque miser.

*Momi civilitas.*

Quis velit ingrata sibi de dape carpere? solus

Quod sibi displicuit carpere Momus amat.

*Noa natus.*

**C**um Noa vitales primum prodiret in auras,

Solamen terris hic, pater inquit, erit.

Vera pater dixit. solatia protulit orbi,

Grataque sollicitis munera, dulce meum.

*Ad Avarum.*

**S**i quod centenis servas sub clavibus aurum

Possideas, multo ditior esse queas.

Nunc vice conversa proprium te possidet aurum;

At nihilo est aurum ditius inde tuum.

*Conscientia totum tribunal.*

**T**estis es & Judex, actor, tortorq; malorum  
Conscia nostrorum taens, adeoq; rea.

*In domum quandam.*

**H**æc illa hæc domus est ubi quondam ser-  
viit Arcas,  
Et pene innumeras accumulavit opes.

*In clericos Pontificios.*

*Conjugii osores.*

**O**distis liciti faces amoris,  
Infantesque toros Deo probatos  
Immiti laceratis ore, castum  
Ausu connubium negare clero.  
At vitæ otia desidis torosque  
Laudatis steriles, nihilque majus  
Nil præstantius esse castiusque  
Lectæ cœlibe creditis, nihilque  
Quod cœlo placeat magis Deoque.  
Hoc nos credere vultis? O inepti!  
Consultum melius fuisset orbi.  
Si qui vos genere credidissent.

*Ad Monachum.*

**C**ur Sacramento tædæ prohibere jugalis?  
An quoniam porcis credere sacra ne-  
fas?

*Ad Pontilianum canescentem.*

**J**am fuscum vetat esse, candidasque  
Spargit temporibus nives senectus.  
Quid

Quid velint sibi dilce, teque crede  
Mortis, Pontiliane, candidatum.

*Ad amicum quendam.*

Quem semper reperi toto mihi pectore  
fidum,  
Non mihi te fidum credo, quid ergo?  
scio.

*In Tyrannos.*

Humanus meritò metuit vos sanguis &  
odit,  
Nam vos humani sanguinis urit amor.

*Ad Damianum.*

Qui, Damiane, tuas pro te res curet agat-  
que.  
Cæcilium assidue quotidieque mones,  
Si saperes operæ posses & parcere verbis:  
Nam longè melius muta moneta monet.

*Ad Ruffum Poetam.*

Carmina semper erunt non quæ sed qua-  
lia scribis,  
Semper enim scribi talia, Ruffe, solent.

*Ad Battum Oratorem infinitum.*

Si venit à fando (memini te dicere) fatum:  
Jam poterat fatum, Batte, venire tuum.

*Ad*

*Ad Ponticum de Marco.*

**S**exagena mihi debebat Marcus amicus,  
 Exigo, vix tandem solvit & hostis abit.  
 Pontice quid? Marcus qualis tibi quæso vi-  
 detur?

Cum bonus anne malus? cum malus an-  
 ne bonus?

*Dido.*

**Q**ui potuit nostri maculare pudoris ho-  
 norem,  
 Non fuit Æneas ille, quis ergo? Maro.

*Paulus & Petrus.*

**P**aulus habet gladium, Petrus cimelia;  
 Pauli  
 Quam male, Petre, tuas protegit ensis  
 opes.

*Homo.*

**N**il nisi per magnum dederat mihi vita la-  
 bore;  
 Absque meo sefe vita labore dedit.

*Mutii Scævola factum.*

**M**utius, obsessos ut liberet hoste pena-  
 tes,  
 Audet in hostiles cominus ire globos.

Dum

Dum Regem petit ense, perit pro Rege sa-  
telles;

Sed dolet errorem dextra luitque suum;  
Ignibus impositam mediis hinc Mutius,  
inde

Rex videt, hic visa pallidus, ille minax.  
Ergo virum flammis Princeps terroribus  
urbem

Solvit & admissis fœdere castra movet.  
Scævola quo flagrat Rex vincitur igne, ma-  
nusque

Integra quem nequit, debilitata fugat.

*Clælie facinus.*

**M**ascula pro Româ dum Clælia mittitur  
obles,

Virgo inter socios Clælia prima greges.  
Invidit generosa viris, Romanaque virtus  
Cur, ait, in sexu nil agat illa meo?

Non patriæ solus laudabere Scævola, robur  
Flamma tui exploret pectoris, unda mei.  
Dixit & ad patrios socio natat agmine mu-  
ros,

Qua Pater undantes Tibris agebat aquas.  
Obstupuit nimis trepidus virtutibus ho-  
stis,

Et placidæ largus pacis amicus abit.  
Parcite, Romani, vestras extollere pugnas:  
Plus fuga Romanæ quod stupeamus ha-  
bet.

*De Horatio Coclite.*

**R**oma vides? à monte tibi gravis immi-  
net hostis,

Et jam jamque tuos subruet ille lares.  
Qua veniat vexilla viam fugientia mon-  
strant.

Si sapias ah plures mittito, Roma, viros,  
Roma peris; non sufficiunt quæ millia mit-  
tis,

Ne pereas unum mittito; Roma, virum.

*Aliud.*

**D**eclives jam pronus equos laxabat He-  
trulcus,

Jam nunc sublicio certus & urbe frui.  
Terretur numero custos, urbemque pe-  
tendo

Deserit, & subita projicit arma fuga.  
Solus in extrema se pontis Horatius ora  
Sistit, & innumeras sustinet ense manus.  
Sustinet hostilemque inhibet sufflamine  
cursum,

Dum videat ruptam post sua terga viam.  
Tunc, ut erat, neque scuta manu neq; fra-  
na remittens

Ad patrium patrio flumine littus abit.  
Hac iter est virtutis, ait; via commoda ma-  
gnam

Hac patet ad laudem, qua via nulla patet.

*Alexan.*

*Alexandri Macedonis mors.*

**I**nictus gladiis cadit ebrietate, Tyrannus  
Usque adeo sicca morte perire ne-  
quit.

*In rusticum furacem.*

**F**urciferes furcamque geris furcamque  
mereris.  
O utinam tandem te quoque furca fe-  
rat.

*In tres Lini filios.*

**N**ondum Avus Linus est, quod hercle mi-  
ror;  
Tres natos totidemque habet nepotes.

*Atta peregrinatio.*

**S**tultus abit patria stultusque revertitur  
Atta;  
Non secus ac sus Sus ante retroque ma-  
net.

*Amicitia inter pauciores firmior.*

**M**ajor amor paucos inter flagrabit ami-  
cos;  
Quo plus materiae hic hoc minor ignis  
erit.



*Ad superstiosum brevitatis amatorem.*

**C**armina longa tibi quamvis bona nulla  
probantur,

Sola tibi brevitatis ingeniosa placet,  
Et merito, fateor, multis placet illa mihi-  
que.

Nam quid habet brevitatis ingeniosa? sa-  
lem.

In cænis sal multa quidem, non omnia præ-  
stat.

Quid sal absque cibo? quod cibus absq;  
sale.

*In Mausulum.*

**N**otus es at solo notus, Mausole, sepul-  
chro;

Vita tibi ex ipso nascitur ipsa rogo.

**Lutetia Parhisorum.**

*Vulgò Paris ἀνάγρη. Rapis.*

**U**rbs orbis communis amor; quodcun-  
que bonorum

Tota Europa tenet, tu rapis una Paris.

**U**rbs orbis comunne malum; quodcunq;  
novorum

Inficiat mundum, tu paris una Paris.

*Ad Pamphilum ex prodigo egenum.*

**J**am tuus exhaustis juvenilia tempora luxus,  
Cumq;

Cumq; tuo absumsit tempore luxus opes.  
Nunc o tempus, ais, Deus & mihi redderet  
aurum.

Uterer ah ! melius. Pamphile sero sapis.  
Restat ut ad Chryalum \* properes; quod  
commodet aurum,

Quodq; tibi vendat fœnore tempus ha-  
bet.

\* Fœneratorem.

*In Historiam naturalem Plinii.*

Quis putet in rerum natura existere, re-  
rum

In quo natura clausa sit ipsa librum ?

*Laurea.*

Emeritis pretium fit laurea vatibus, hoc  
est

Quod memorant: silvas carmina docta  
trahunt.

*Hippocrene.*

Ecquid in ungue latet? scripturi rodimus  
ungues,

Quique aperit fontem vatibus, unguis  
erat.

*Ad Machiavellum.*

Inter Philosophos docere nemo  
Successu meliore te videtur ;

F

Quos

Quos tu discipulos, Hetrusce, formas,  
 Hi soli fere mavolunt, Magister  
 Quales expetit esse quàm videri.

*Ad Chærilum.*

**N**obis scripta legenda quæ dedisti  
 An prælo rear imprimenda quæris?  
 De prælo dubito, premi merentur.

*Ad Clericos Romanenses.*

**F**œdera condemnant vestri socialia libri;  
 Mirus in his spirat virginitatis honor.  
 Illos nemo leget thalami quin damnet amo-  
 rem,

Perpetuaque velit virginitate frui.  
 Ipsos præcipue qui vos genuere parentes  
 Hoc movet, hos sobolem progenuisse  
 pudet.

**Ad quemdam ex iisdem**

*Vitæ cælibis laudatorem.*

**D**um tum scripta docent: melius nil-  
 cælibe vita  
 Nonne tuum damnant hæc tua scripta  
 Patrem?

De pietate tua melius sperare volumus:  
 Et potuit cælebs te generasse Pater.

*Epigramma*

Unum epigramma bonum facilis con-  
scribere res est

Marcus ait, libros scribere difficile.

Nunc epigramma bonum quam multis Va-  
tibus unum

Difficile est, libros scribere perfacile?

*In Hermum Criticum avarum.*

Dictum nobile cognitumq; vulgo  
Circumfertur: Amicus usque ad a-  
ras.

Sic & non aliter legunt recentum  
Exemplaria, sic vetustiores  
Membranzque librique codicesq;  
At contra veteres novosque, contra  
Exemplaria, codices, libellos  
Impressosque typis manuque scriptos,  
Legendum putat Hermus. usq; ad arcas.

*Hominis Epitaphium.*

Quod jacet hic hominem dum vixit jure  
vocabas;  
Non jacet hâc terra nunc homo, terra  
jacet.

*Fama fœminarum.*

Penelopza licet tantâ celeberrimâ famâ  
Non omni caruit suspitione fides.

Ipse pudicitiae Maro labem asperfit Elifæ,  
 Cui malè notitiam non mala fama dedit.  
 Ne nimium famæ, mulier, placuisse labora:  
 Fama satis laudat te tua; quando tacet.

*Ebrietatis Apologia.*

**C**ur homines brutis similes ego reddere  
 dicor?  
 Plus quam quod satis est bellua nulla  
 bibit.

*De Constante & Pomponio.*

**I**lle tenax recti Constans animique modesti  
 Netumidus fiat, γυνῶδι σεαυτὸν ait.  
 Captus amore sui Pomponius iste superbus  
 Ne sibi vilescat, γυνῶδι σεαυτὸν, ait.

*De Ramia ad Pictorem.*

**S**e cupit in tabula deformis Ramia pingas;  
 Si Ramiam benè vis pingere, pinge malè.

*Ad Superbum.*

**Q**uam tanti facis & toties circumspicis,  
 umbra  
 Non indignaris quod tua serpat humi?

*Ad Pontiam Jocus.*

**Z**elotypus meus est sine causa Pontius, in-  
 quis;  
 Quod causam haud habeat, Pontia, cul-  
 pa tua est.

*In fœdisfragos.*

**C**um lubet abjectis pacem componitis  
hastis,

Cum lubet infesta stringitis arma manu  
Mox ubi damnosi redierunt tædia belli,

Dum redeant pacis, pax ineunda placet,  
Non pacem facitis sed paces, bellica semet,

Pax timet & numero fit minor ipsa suo.  
Quis putet? ipsa boni damnosa est copia,  
paxque

Rarior hoc quo jam sæpius illa datur.

*In Clepsammium.*

Quid sit vita doces vitæ pereuntis imago:  
Exhausto vitæ pulvere pulvis ero.

*Amicitia inter pauciores firmior. cf. pag. 79*

**V**inculum amicitia est, telorum fascis a-  
mici;

Hos, veluti fascem vincula, stringit amor.  
At vero paucos quam plures sæpius idem  
Ambit amor; paucos firmitus ergo ligat.

**Mors ultima linea.**

*Ad Pyramum & Thibem.*

**D**um tandem ad fructum longi propera-  
tis amoris,

Mors vota vestra discidit,

An magis implevit? dum morte probatis  
 amorem,  
 Extrema amatis linea.

*De amore suo.*

Prima Rosilla suis miserum me cepit ocel-  
 lis;  
 Non oculis captum me tamen esse puto.

*Ad Rosillam.*

Uror & Idaliæ torrent mea viscera flam-  
 mæ,  
 Adde tuas flammæ jam recreatus ero:  
 Sentio vincla, tui teneor captivus amore;  
 Addito connubii vincula, liber ero.

*Ad prodigum.*

Quod mihi tu donas non debeo, prodige,  
 munus;  
 Hoc à more tuo, non ab amore venit.

*In Acerram avarum*

Qui petet accipiet Jacobus Apostolus in-  
 quit,  
 Quicumque accipiet, dicit Acerra, petet.

*Ad Priscum.*

Nullius tibi homo, multorum, Prisce, Jo-  
 corum es.

Esse quidem tecum, non tamen esse velim.

*Amicus*

*Amicus ἀνάγχο. Musica.*

**I**mpariter par est, ut Musica, fidus amicus:  
 Hujus vox etiam dissona sæpe juvat.  
**Q**ui bonus est, sonitū mecum non semper  
 eodem,  
 Sed semper simili consonat ille fide.

*In duos spadones cantores.*

**G**arrit in auriculam cantori cantor, at  
 alter  
 Non opus est, inquit, nam sine teste su-  
 mus.

**Ad ineptum scriptorem.**

*Consilium.*

**N**e tua ~~fra~~ sustineat quis spernere carmi-  
 na, libris  
 Præfige, AD MOMUM, disticha pauca  
 tuis.

*Porcus & Pycus.*

**C**urrit, arat, pugnat, fert pondera nosq;  
 caballus;  
 Mellificatis apes, vellera fertis oves.  
**A**mpla revertentes implent mulctralia  
 vaccæ.  
 Ubera plena domum grata capella re-  
 fert.



Bos arat, ova parit Gallina, at pervigil an-  
ser

Scribit, habent cervi cornua, carmen  
aves.

At sus vivit iners similisque est solusavaro,  
Ille sui similis: nil juvat ante necem,

### De modo

*Ad Grammaticum.*

**Q**uid modus est? apto rem claudens  
tempore finis;  
Infinitivum quis putet esse modum?

*Ad Attalum.*

**A**ttale, quid natam dubitas agnoscere  
prolem?

Mense tibi quarto quam nova nupta  
parit.

Nedubita, tuus esse potest, me iudice, fru-  
ctus,

Quem tuus alterius semine gignit ager.

*Omni fructus non jure seminis sed  
jure soli percipitur.*

*Julianus. l. 25. π. de usuris.*

## In Linum Discipulum

*Ingratissimum.*

Vitam quæ faciunt beatiorem,  
 Et vulgi rudis eximunt tenebris ;  
 Linguas, sacra, scientias & artes  
 Phileno didicit Linus Magistro.  
 Sed turpes imitarier cuculos,  
 Et tantum facere ac loqui, Phileno  
 Vitam quæ faciunt acerbiorē ;  
 Hoc Lino didicit Linus Magistro.

*In Phebilum.*

Desertor ille literarum Phebilus  
 Tam tarda questus literarum præmia,  
 Ferulæ manum jam liberam subduxerat.  
 Et mox initiatus sacris Laverniis  
 Arti studebat isti, quæ cultoribus  
 Labore in ipso dat laboris præmium.  
 Sed studia cruda cum novus fur & minus  
 Matura cœpit in forum propellere,  
 Deprensus in foro & notatus stigmatē  
 Invitus en rudis que literatus est.

*Ad Lectorem.*

Si non tota placent mea carmina, sufficit  
 illud,  
 Si mea vel solo carmina sine placent.

LIBER SECUNDI

FINIS.



HENRICI HARDERI  
EPIGRAMMATUM  
LIBER TERTIUS.

*Ad Perillustrem & Magnificum Heroem*  
FRIDERICUM COMITEM  
AB AHLFELD.

Magnum Regni Cancellarium.  
&c. &c. &c.

**L**ibabant veteres Bromio nova vina  
Lyxo.

Gaudebat primis mensibus alma Ceres.  
Palladios flavæ latices offerre Minervæ  
Mos erat, exuvias, Mars animose, tibi-  
Pomonæ pomis fiebat, carmine Phæbo.  
Carmina cui libem, Tu mihi Phœbus etis.

*In laudem Julii MAZARINI.*

**S**ublime pectus illud & cœli capax  
Exemplar illud unicum Prudentiæ,  
Illam columnam Galliarum Julium

Lau-

Laudare nuper docta Musarum cohors  
 In rupe sacra Phœbo cœpit Judice.  
 Certatur undiquaque, quænam nominis  
 Toto orbe noti dignius laudes canat.  
 At nil Thalia, Clio nil, Erato nihil  
 Artis nec oris, nil habet Polymnia;  
 Nil denique omnis iste ter trium chorus,  
 Quin omne tantis sentiant meritis minus.  
 Tum Phœbus alios, inquit, ad vestras Deæ  
 Vocate laudes, gravius hoc vestris onus  
 Humeris quiescat; non eget præconio,  
 Qui major unus omnium præconio est,  
 Ipsi prope comparandus AHLEFELDIO.

*Ad PHOEBUM.*

Phœbe, Pater Vatum: cujus defecta fa-  
     vore  
 Mens hebet, ingenii nil bene gignit a-  
     ger:  
 Qui Sol in cœlis, in terris diceris aurum,  
 Si mihi tu faveas ingeniosus ero.

*Hæstia munita.*

Cum malè firmatis premeret te mœnibus  
     hostis,  
 Sola tibi Virtus tunc tua murus erat.  
 Jam tibi jam firmi surgunt munimina mu-  
     ri,  
 Quæ superare manu nemo, nec ipsa  
     queas.

*Ad M. Val. Martialem.*

**N**ec mage corrupto potuisses tempore  
nasci,  
Nec mage corrupto tempore digna lo-  
qui.

*In Lucii Mercatoris nuptias.*

**P**rodiga, vana, levis, Luci, tibi ducitur  
uxor.  
Speras tamen ditescere.  
Hæc tibi, crede mihi, non cornu copiz, a-  
mice,  
Sed copiam fert cornuum.

*Amici etymon.*

**H**ic tibi amicus erit, nudo cui tradis ami-  
ctum.  
Non bene sub gelido pectore fervet  
amor.  
Frigidulus si quis foveatur vestibus, ille  
Ejus amore calet, cujus amore calet.

*Aurum.*

**J**upiter, ut perhibent, quondam mutatus  
in aurum est.  
Nunc quoque nescio quid Numinis il-  
lud habet.

*Ad duos rivales.*

**H**oc quod amicitiam dixit quis nescio  
firmam,

Disfidii vobis maxima causa fuit:  
Phyllida Daphnis amat, tu Phyllida, Tiry- 3  
re; vobis

Non bene convenit, dum voluistis idem. 4

*Scala honoris.*

**A**d summos vacuus vix enitetur hono- 4  
res;

Tendere nunc sursum cernimus omne 4  
grave.

*In Chærilum Poetam.*

**E**ffertur Festi conjux, epicedia scribit  
Chærilus & Festum præmia digna ro-  
gat.

Nil dabo, Festus ait, sed mortem, Chæri-  
le, malim

Officio simili concelebrare tuam.

*Ecclesiæ Romanæ authoritas.*

**P**er quâ firmatur Romana Ecclesia firmat  
Scripturam; matris filia facta parens.

*De forma & moribus Rosillæ.*

**N**empe quis objiciet magni mihi crimen  
amoris;

Talia qui Dominæ viderit ora meæ?

Lumi

Lumina sideribus certant & colla ligustris;  
 Certant purpureis labra genæque rosis.  
 Pectora marmoribus fulvo coma conco-  
 lor auro;

Denique quid memorem singula? tota  
 placet.

3 Tota placet Rosilla mihi formosa decens-  
 que;

4 Quodque magis placeat, non placet ipsa  
 sibi.

*Rosilla. Ros illa.*

Ros est illa quidem sed frigore nempe ge-  
 latus;

Quis putet hoc flammæ crescere rore  
 meas?

Quam bene jungemur! nostro ros igne li-  
 quefcet,

Et simul ardorem leniet iste meum.

*A Rosillam inexorabilem.*

Ut laboratque labos, ut idem sunt arbor  
 & arbos,

Sic cor esse tuum eos, mea vita, potest.

*In imaginem Rosillæ.*

Sic ars sic nostram fecit natura Rosillam;  
 Sic frons, sic oculi, labra, genæque ni-  
 tent.

Me

Me miserum quod non tam blandos æquat  
ocellos

Mente, nec hac forma pectora digna ge-  
rit,

Si manus in duro hanc sic poneret ære My-  
ronis,

Non foret effigies, ipsa Rosilla foret.

*In suam imaginem.*

**E**n tibi me pictum, si sculptum poscis in  
ære,

Insculpas cordi me precor ipsa tuo.

*Mortis ingenium.*

**S**æpe vocat mortem, vivit tamen usque  
Merimnus.

Aulus amans vitæ fata suprema subit.

Quam similis nostris mors est perversa pu-  
ellis!

Seu fugias, sequitur; sive sequare, fugit.

*Ad Morenium.*

**Q**ui te luce sacra solet exercere Moreni,

Improbus est, vincit nil tamen iste la-  
bor.

*De Bibulo febricitante.*

**F**ebre laborabat Bibulus Medicosque vi-  
debat

De propulsanda curam agitare siti.

Vos,



Vos, ait, infestam nostro de corpore te-  
brim,  
Propulsate, sitim quid fuget ipse scio.

*Ad Lectorem.*

**S**i bona jungo malis laudem mihi candide  
Lector  
Debebis, veniam si mala jungo bonis.  
Hæc mala sunt isthæc paullo meliora, quid  
inde?  
Si bona cuncta forent, non meliora fo-  
rent.

*Ad amicum fatuo amoris igne Corruptum.*

**N**eglige Vulcanum; tecum domus igne  
peribit,  
Urit amor pectus, negligè, salvus eris.

*In Lentulum Poetam.*

**L**entulus a verso componit carmina Phœ-  
bo,  
Et trahit invitas ex Helicone Deas.  
**O** medici, mediam misero pertundite ve-  
nam,  
Nam quæ vena fluit vatibus illa deest.

*Occasio.*

*Ad Anolbum calvum.*

**N**on tibi defuerat peccandi Occasio, nec  
tu  
Illi defueras; estis, Anolbe, pares. *Ad*

*Ad Priscum Senem.*

**E**ffe quid hoc dicam lautæ quod more ju-  
ventæ

Spargis odorato pulvere, Prisce, comas?  
Res mira & nova res canis simulare juven-  
tam!

Te canum, canus ne videre, facis.

*Vulcanus in cornu.*

**T**anta ferox fecit Vulcano cornua Ma-  
jors,

Cornibus includi posfit ut ipse suis.

**Avari** cujusdam

*Epitaphium.*

**H**ic situs est, qui cum per pharmaca vi-  
vere posset,

Parceret ut nummis, maluit ipse mori.

Nunc reor optaret vitam, si scire liceret

Impensas tantas tueris esse sui.

*Ad Amicum quendam ad Romana sacra  
transeuntem.*

**N**unc mihi post nullos olim dilectæ soda-  
les,

Quo mihi non toto carior orbe fuit:

Fœdus amicitiz dissolvo denique nostræ,

Hanc habeat metam denique noster a-  
mor.

G

Sed

Sed neque fallo fidem; dixi: Babylonius  
 annis  
 Cum fluet in Tibrim, finis amoris erit.  
 Factum est: ausonii Euphrates se miscuit  
 undis  
 Tibris, & est Babylon Roma quod antè  
 fuit.

*Mercatoris cujusdam Epitaphium.*

**C**reditor ignoscat, cedo mundoque fo-  
 roque,  
 Non nisi naturæ debita solvo meæ.

*Dives moriens.*

**O**mnia relinquo, fortunæ rebus abun-  
 dans  
 Et nullo obstrictus nomine cedo bonis.

*Ad Cecilianum.*

**A**n constare putem cunctos tibi nescio  
 sensus,  
 Hoc scio, non audis, Cæciliane, bene.

*Ad Harpalum furem.*

**X**quam tibi naturâ furti malus indidit usus  
 Expellat furca licitor, non, credo, re-  
 curret.

*In Lucilium.*

Ostendisse novas antiquis vatibus undas  
 Bellerophontæi dicitur unguis equi.  
 Hic proprios rodit, cum versum parturit,  
 ungues.

Vix Aganippæas hic dabit unguis aquas.

*Infelix ex felice.*

In sola constans fors est levitate, sed eheu!  
 Quam fuit hac nobis in levitate gravis?

*Felix ex infelice.*

Spes mutata metu est, bona spes non fal-  
 lit, at ipsum

Dum modo me pergat fallere, malo  
 metum.

*Ad Mathonem:*

Stultos esse, Matho, putas Poetas;  
 Ten' censere ita posse de Poetis,  
 Qui stultus, Matho, nec tamen Poeta es?

*Ad Ponticum Philautum.*

Qui tibi tam turpi tibi te submittis in-  
 epto,  
 Credere non possum, Pontice, te quod  
 ames.

*Lesbiæ Epitaphium.*

**H**oc tegitur tumulo tandemque supina  
quiescit

Lesbia, cui motu nil prius antè fuit.  
Tellurem huic facilem juvenes optate le-  
vemque,

Semper enim facilis viva levisque fuit.

*Ad Machiavellum.*

**S**criptores laudantur ab his, culpantur ab  
illis.

Non habet hoc in te, Machiavelle, locum.  
Te culpat quicumque probat, quas differis  
artes

Discere, Doctorem disimulare juvat.  
Si laudem scriptis quæfisti falleris, horum  
Laudator rarus, multus Amator erit.

*Ad Eundem.*

**N**on tu solus eras, illas qui nosceret artes,  
Sed qui vulgaret tam benè primus  
eras.

Quod tu vulgasti dudù placet atq; placebit;  
Sed quòd vulgasti displicuisse potest.

*Ad Cottam.*

**P**auper eras nuper, diti jam Conjuge gau-  
des;

Hæc tibi ducta animos divitiasque dedit.

Jam.

Jamque superbus opes jactas & cornua tol-  
lis,

Nemo nisi conjux hæc tibi, Cotta, dedit.

*Lacrymæ amantum.*

Gaudet amor lacrymas similem sibi gignere prolem:

Ex oculo in pectus hæ, velut ille, cadunt.

*In Aulum.*

Res tibi curta domi est, aliorum fercula  
captas,

Quodque domi non est te fugat, Aule,  
domo.

*In eundem.*

Quod nemo socium te domi visit tuæ,  
Humanitas est, Aule, non superbia.

*Ad Pontificios.*

Ungitis in stygio torrendos igne; quid  
hoc est?

Oleumne flammis addere?

Aliquid ex nihilo.

*Ad Nevolum.*

Nobilitas nihil est, aliquid tua propria  
virtus.

Sic aliquid numerus, Nzyole, ciphra ni-  
hil. Junge

Junge ciphram numero, decies geminabitur ille.

Virtuti adde genus nobile, major erit.

*In Labienum subito ditescentem.*

**D**ives es, agnosco Labiene, ex paupere  
Dives;

Imo ex pauperibus dives es innumeris.

*Chiromantia.*

**I**ngenium, mores, virtutes, crimina, fata  
Manus docere prædicant.

**E**manibus Virtus, nisi Martia, nulla videtur  
Et sola liberalitas.

*In Floram.*

**A**n fiet argento tempus venale vel auro  
Nescio; sed noctes vendere Flora solet.

**De Hermo & Phyllide**

*Novis conjugibus.*

**E**t prodesse solent & delectare mariti:  
Phyllis, cum thalamos ingrederetur,  
ait.

Omne tulit punctum qui miscuit utile  
dulci.

Phyllida dum miserè verberat, Hermus  
ait.

*In Acerram.*

**G**ratus, Acerra, tibi est quisquis cum mu-  
nere venit :

Sed solet exosus parcus abire cliens.

Latronis latro est fur furis amicus ; avarum

Nemo hominum prorsus sed nec avarus amat.

*Epigrammatici.*

**N**os quoties nihil est quod agamus, car-  
pere pravos

Aggredimur mores, sic quoque nil agimus.

*Ad amicum quondam.*

**H**ei mihi quis nunc es ? quantum muta-  
tus ab illo

Tempore, quod fato junxit utrumque  
pari ?

Quo toties jurata fides candorque recessit ?

Quo desiderium fugit amorque mei ?

Jamne ferox à sorte favente superbia cre-  
scit ?

Et veterem sensim spernit amicitiam ?

Fortunæ ne fide precor : per munera fallit,

Unaque distribuit, surripit una manus.

Quos tribuit titulos nimio tibi vendidit ;  
hos tu

Redde Deæ, mentem reddat ut illa tibi.



*Virtus.*

**I**psa sibi est Virtus pretium & pulcherrima  
merces

**H**inc alio virtus munere, credo, caret.

*Ad Zoilum.*

**C**armina cur solus mala tu mea, Zoile,  
dicis?

Non mea te dicunt carmina sola malum.

**Patientia victrix***Emblematicum.*

**I**rritata diu patientia denique pugnat,  
Et victrix quoties denique pugnat, abit,  
**B**ella movent aquilæ cygnis: confidite  
cygni:

**H**oc genus armigerum desit esse Jov is.  
**S**urge obverte animos & robur, Apollinis  
ales.

**S**i qua fides, Aquilam sæpe triumphat  
olor.

*Cygni ipsi non incipiunt pugnam sed & aquilam  
si inceperit defendentes se vincunt. Aristot.*

*Dionysius Corinthi.*

**R**ex olim regni dejectus sorte puellis  
Imperat: imperii quam malè cedit a-  
mor!

*Fama*

*Fama mulierum.*

**F**œmina laudantis præconia querere  
famæ

Parce, juvat solos fama decetque Viros.  
Ut bona sit castis nocet innotescere tamâ;

Implevit lenæ sæpius illa vicem.

Fama igitur castæ quæ conjugis optima?  
nulla,

Esse velut conjux optima nulla solet.

*Ad Pollam Sponsam.*

**N**on forma sed dote places; dedit hæc  
nus esse

Forma rei; formam res tibi, Polla, dedit.

*Ad Ottonem Chirumantem.*

**S**ola Dei manus est quæ nos & nostra gu-  
bernat:

Non est in nostra mors neq; vita manu;  
Quæ nos ergo manent cum discere fata la-  
boras,

Inspice divinam si potes, Otto, manum.

*Cornelius ἀνὸς γῆς cornu file.*

**C**ornua ferre grave est, efferre hæc cor-  
nua pejus.

Ne clament alii, si sapis ipse file.

Mundum non esse æternum,

*Ad peripateticos.*

**Q**uod caret alterna requie durabile non  
est.

Hac requie cœlum, flumina & astra ca-  
rent.

*Prodigus & avarus.*

**P**rodigus infano gaudet sua perdere luxu;  
O miseri quorum gaudia crimen ha-  
bent!

Ut corradat opes tristis se torquet avarus,  
Bis miseri quorum crux quoque crimen  
habet.

*Mulier barbata Amstelodami Anno 1668.*

**C**otta in fœmineo barbam cum cerneret  
ore,

Naturæ iratus talia dicta dedit:  
Fœmina jam rapuit vultus insignia nostri,  
Restat ut hæc etiam cornua nostra gerat.

*Ad Julium Cæsarem perpetuum Dictatorem.*

**V**entum ad supremum est, sed & in supre-  
ma potestas

Est Jovis & contra nil valet una Venus,  
Solus es, imperium solus Romamque  
tenebis,

At non qui cupiet talia solus eris.

Par.

Parce tamen madidas romano sanguine  
lauros,

Parce triumphatos tot memorare Du-  
ces.

Invidiam laus ista parit non tertet Olym-  
pum.

Quod poterit lauros spernere fulmen  
habet.

*In Neronem.*

Sanguinis humani cupidissimis iste, vide-  
tur

Sanguinis humani nil habuisse Nero.

*In mortem ejusdem.*

Se quoq; post alios properato funere tol-  
lit:

Fecerat hoc melius deteriusque nihil.

*In Cœcilium philautum.*

Plus aliis de te quam tu tibi credere nolis:  
Cœcilius secum, cum malus audit, ait:

*ultima tempora.*

Ptævalet ambitio, cessat dilectio; regnat  
Multus honoris amor, nullus amoris  
honor.

Antiqua Virtus,

*Ad Liburnicum.*

Cur

**C**ura prior bonus ut fieri, Liburnice, pos-  
fis

Sit tua, posterior doctus ut esse queas.

Doctior est lux posterior: docet illa prio-  
rem,

Sed prior est melior posteriore dies.

*In Quintum Judicem.*

**N**on opus esse reo verbis res quando lo-  
quuntur,

Dum reus insinuat munera, Quintus  
ait.

*Tychonis Epitaphium.*

**E**xilio felix & raro nomine notus,

Hic Jaceo patriæ crimen honorque  
meæ.

Cœlitus orta mei potior pars reddita cœ-  
lo est;

Fama quoque ex astris venit, ad astra  
redit.

*In Pontilianum Poetam.*

**T**e proprio nuper laudasti carmine, lau-  
do;

Metiris pede te, Pontiliane, tuo.

ALSTEDIUS *away*. SEDULITAS.

**Q**uæ tibi debetur monstrasti nomine lau-  
dem;  
Nam doctis sola sedulitate places.

*Privilegium Anolbi.*

**N**uper vulgato cautum est diplomate; li-  
bros  
Ne quis te præter vendat, Anolbe, tuos;  
**Q**uo vendi prohibentur habes diploma;  
quid inde?  
Nunc opus est alio quo jubeantur emi.

**De unctiōe extrema,**

*Ad Clericos Romanenses.*

**N**itimini meritis, morientes ungitis ar-  
tus,  
Vos oleum verè perditis atque operam.

**Amicitia.**

*Ad Clarissimum Virum.*

**M. AURELIUM BENZONIUM**  
Ecclesiast, Tyrstedensem.

*Amicum integerrimum.*

**C**onstantes adversa probat Fortuna so-  
dales;  
Nulla satis læto tempore certa fides.  
Sorte premente fides patet indubitabilis;  
opto  
De nostra dubites semper, Amice, fide.

## In Ordinem Equestrem Elephant.

*In Dania.*

**J**am pridem in cœlis ariesque caperque  
micabant,

Bos, Leo, Centaurus, Pegasus, Ursa, canis.

Unus adhuc Elephas deerat dignissimus  
astris.

Hunc quoque dum regni vult decus esse  
sui

Elige qua cupias cœli regione micare

Quamque voles sedem, Jupiter inquit,  
habe.

Emissis Elephas oculis infraque supraque  
Lumina supremi nil moror axis, ait.

Heroum potiora mihi sunt pectora cœlo  
Hoc tantum inferior pulchrius orbis  
habet,

Pro Jove CHRISTIANUM pro stellis eligo  
Danos

Sarcina magnanimis digna futura Viris.  
Hic titulus Virtutis ero, neque luce carebo:

Pectora sunt stellis hæc quoque clara  
suis.

*Elephas Danicus.*

**V**os quot cunque micatis inter astra,  
Vestro quadrupedes honore læti

Fli-

Æquo nos animo videte, nos iram  
 Nec nobis nimis invidete sortem.  
 Dederunt bona fata quod meremur:  
 Vobis sidera dent propinqua lucem.  
 Lucem sideribus dedisse nostrum est.

*Ad Illustrem & Magnificum Heroem*

JOHANNEM CHRISTOPHORUM

A KÖRBITS,

Regni Mareschallum, Intimum Reg. Conf.  
 &c. &c. &c.

Post exantlatos per tot jam lustralabores,  
 Post tot gesta domi munera totque  
 foris,

Quàm bene CHRISTIANUS, KÖRBIZI  
 Magne, videtur,  
 Te dum consuluit consuluisse sibi,

*Ad Generosissimum*

Dn. CHRISTOPHORUM LIN-  
 DENOVIVM,

Regium in aula Britannica Legat.  
 extraord. Anno 1670.

Dectis Danorum flosque gentis inclytæ  
 Prudens diserte Regis Interpres tui:  
 Dum Te studentem patriæ rebus foris  
 Britonum moratur aula, jam necessitas

Seu



Seu læva seu secunda nos domum trahit.  
 Tibique sed non ultimum dicit vale  
 Tibi tuisque debitor virtutibus  
 Semper futurus nec tamen nomen malum  
 H. H.

Ad Fortunam.

*De Generosissimo & Virtute ac literis  
 Nobilissimo*

Dn. JANO ROSÆCRANZIO,  
 Cancell. Consiliar. Præfecto Nibur-  
 genfi, &c

O quam vetustas credidit coli dignam  
 Dominamque dixit arbitramque ter-  
 rarum:

Aliquando tandem tædeat Deam famæ  
 Adeo inveniustæ putidique rumoris,  
 Quo teste nil non impetu facis cæco,  
 Bonis iniqua nil merentibus larga.  
 Hunc ut refutes; JANUS ille tot retro,  
 Genus Deorum, stirpis inclytæ sanguis  
 Virtutis ædes & decus Camænarum.  
 Ipsi DEO placere s'vetus & Regi,  
 Quod literis virtutibusque debetur,  
 Generique tot jam seculis perennanti,  
 Te non vetante præmium ferat felix,  
 Honoribusque quot meretur illustris  
 Nomen perenni trada: inclytum famæ.

Hoc

Hoc quod rogamus ipsa te rogat Virtus,  
 Hoc literarum præfides vovent Divæ.  
 His, Diva, si libenter annues votis,  
 Precesque non immitis audies nostras;  
 Aliquando tandem desines malè audire.

*Nobilissimo Domino*

**CASPARO SCHÖLERO**

*Regiæ Majest. à Secretis.*

Jam tandem Fortuna sapit, jam cæca videri  
 Definit & meritis quo decet ore favet.  
 Erigitur digno sese SCHÖLERUS honore,  
 Et stadium Virtus quod nova currat ha-  
 bet.

Perge tuis, Fortuna, bonis meliorque perennas;  
 Sic poteris laudi consuluisse tuæ. 4/7. 51.  
 Tuque tua pariter virtute, Vir inclyte, perge;  
 Sic poteris nostris consuluisse bonis.  
 Jam Secreta tui sic tractas Regis & aulæ;  
 Notius ut nostro te sit in orbe nihil.

**Poetarum furor**

*Ad Anolbum.*

Qvi nisi mente furas, Phœbi tibi templa  
 patere  
 Credis, Anolbe, furis; nec tamen illa pa-  
 tent.

H

Poe

Poeseos utilitas,  
emblematicum

*Pingatur corpus soli obversum longa à tergo umbra.*

**G**loria virtutem comitari corpus ut um-  
bra,

Si tamen irradiet corpus Apollo, solet.

*Abstinentia,*

**Q**uæ bona sunt nimum nulli potuere  
placere.

Est Virtus placitis abstinuisse malis.

*Ad Rosillam.*

**Q**uale quod accendit de solis lumine vi-  
vitrum,

Tales sunt oculi, pulcra Rosilla, mei:

Hos per in arentes penetrat tua flamma  
medullas,

Cum video Solem te, mea vita, meum.

*Virtus Platonica.*

**S**i posset Virtus, inquit Plato, nuda videri;  
Mirus in hanc hominum conciperetur  
amor.

Nuda satis nostro spectatur tempore virtus.

Cur? quia virtutis tam modo friget amor.

## In fœminam cornutam

*Londini in Anglia visam. Anno 1670.*

Vidimus his oculis cornutam vidimus  
Anglam

Nil Anglus quod nunc jure queratur ha-  
bet.

Si nequeant teneti tot cornua ferre mariti,  
Ipsa onus hoc uxor, quod facit ipsa, feret.

*Ad Gallam.*

Te speculum benè Galla refert, cur? exhi-  
bet umbram

Formosam, speculum te male, Galla, re-  
fert.

Nec benè nec malè te referens, umbramque  
per umbram

Disimulans speculum tu benè, Galla, re-  
fers.

*Ad Archimedem Siracusanum.*

Occidis in tenui dum pingis pulvere, vitæ  
Ultima mors verè linea facta tuæ est.

*In Harpalum.*

Quam pulcrum est digitis monstrari & di-  
cier hic est?

Harpalus, ad furcam cum raperetur, ait

*Incendium Londinense.*

**L**ondiniæ turres eductaq; culmina cælo,  
 Illustris famæ peridumqve labor  
 Stabant attoniti nova ceu miracula mundi,  
 Nec quo jam ulterius progredierentur  
 erat.

Invidiam meruere Deum; crudelis habenas  
 Laxat & immisso Mulciber igne furit,  
 Et furit & sævit, donec jam denique tessus  
 Majus opus vidit viribus esse suis.  
 Nil agis, indomitæ jam desine Mulciber iræ:  
 Nil agis, invidiæ contrahe fræna tuæ.  
 Magnificam delere paras & corrigis urbem:  
 Clarius è flammis erigit illa caput.

*Lingua Anglicana.*

**P**erfectam Veneris faciem picturus Apel-  
 les  
 Virgineos tota legit in urbe greges.  
 Quicquid in electis pulchrum vel amabile  
 formis  
 Repperit, in paphiæ transtulit ora Dex.  
 Excesit nova forma modum: se pluribus  
 una  
 Debuit, at cunctis pulerior una fuit.  
 Effigies Veneris quam sic collegit Apelles  
 Effigies lingvæ est illa, Britanne, tuæ.

*Apellis Epitaphium.*

**Q**ui simulare ipsam callebat imagine vi-  
tam,  
Mortuus est neque jam scit simulare ne-  
cem.

*Alexandri Magni.*

**A**ngustus mihi mundus erat, nec ferre  
priorem,  
Nec potui mecum vivus habere parem.  
Contrahit ambitio tenui se clausa sepul-  
chro:  
Nunc hic Alexandris mille jacere licet.

*Cæsaris & Pompeji.*

**F**erre parem nequirit Magnus, Cæsarve prio-  
rem,  
Morte pares facti, sed tamen ille prior.

*Ducis Albani.*

**S**ustulit hunc nimios dum mors invidit ho-  
nores:  
Sævitiâ vinci non tulit illa suam.

*Catharinæ de Medicis.*

**N**ominis omen amans me Gallia tota co-  
lebas,  
Expectans longis pharmaca grata malis.

Spes tua falsa fuit: mea te medicina pere-  
mit,

Nil præter venas docta fecare tuas.

*Legati regii in itinere mortui.*

Sanctus eram, nulli quicquam in me jure li-  
cebat.

Mors rudis hinc aliam me jubet ire viam.

*Ad Attalum.*

Te solè blandita suum vocat, Attale, con-  
jux,

Non potes hanc Lunam jure vocare  
tuam.

Nempe tibi inconstans est plus satis, Attale,  
verùm

Impleri ex alio Pontia sole solet.

## THOMÆ MORI

*Epitaphium.*

Mori memento quisquis hunc tumulum  
vides.

Ille ille gentis tanta lux britannicæ,

Columenque voxque civium, Regis manus  
Et purpuratorum alpha Morus Præsidum,

Charitum voluptas, dulce Musarum decus,  
Virtutis ara, terminus constantiæ,

Virque omnium, dum vixit, integerrimus,

Hic

Hic ille Morus ille divisus jacet  
 Iræ furentis immolatus Principis.  
 Pœna quid ista fecerit dignum rogas?  
 Age arrige aures: ipse quamvis mortuus  
 Tibi dicit ipse, nempe quid dicit? nihil.

*In chorum sacrum*

Clarissimi M. THOMÆ KINGO,  
 Episcopi Eyonensis.

**D**ania tolle caput, reliquis accepta remitte  
 Gentibus & laudes noscere discite tuas;  
 Discite peregrinæ fastum contemnere lingvæ;  
 Ut placeas aliis discite placere tibi.

Ne dubita; quæ terra patet tua lingua pla-  
 cebit,

Musaque jam summo docta placere Deo;  
 Muneris hoc KINGO debes, hoc vindice  
 nomen

Sperat & æternum Danica Musa decus.  
 Dum pia vota canit, vocem dum mittit ad  
 astra,

Ecce simul linguam tollit ad astra tuam:

*In ejusdem encomium Arcis Croneburg.*

**C**ronæburgiacas ornavit laudibus arces  
 Kingius, ingenii non sine laude sui.  
 Quam celebrent Vates non altera dignior  
 arx est;

Dignior hoc nemo qui celebraret erat.



*Ad Philosophum.*

**S**perandum adversis metuendū, ais, esse secundis.

Hoc sperare metum, spem metuissē foret.

*Ad Damianum calvum.*

**N**unc lubet ô mores! ô tempora! dicere,  
mores

Cum, Damiane, tuos tempora cerno tuas

*Ad Monachos.*

**Q**uare capillos cæditis fraterculi?  
Ne sponte, credo, defluant.

*Missæ.*

**Q**uis missam fugiat negetque sacram?  
Fecit Christus Apostolique missam.

*Ad Nævolum Grammaticum scortatorem.*

**D**ic quæcunque putas levibus dicenda  
puellis;

Duc quacunque licet vel placet ire via;  
Fac quæcunque jubet fieri væfana libido;  
Denique ne fallat regula, Nævole, Fer.

*Ad Mæcenatem.*

**T**e cecinit Flaccus tu mentem animosque  
dedisti;

Munere tu Flacci vivis & ille tuo.

*Ad*

*Ad Marcum concionatorem  
benè docentem male viventem.*

**F**acundo nos ore doces facienda, nec ipse  
 Quæ tam facundo præcipis ore facis.  
 Salvificæ fidei similis mihi, Marce, videris;  
 In cælum hæc ducit non tamen ipsa venit.

*In historiam Poetarum Latinorum*

**Celeberrimi D. OLAI BORRICHII.**

**O**rbis nobile sidus eruditi,  
 Vatum gloria, perge sic mederi;  
 (Nam nec hoc tuus abnuit Machaon)  
 Perge quot Latio leguntur ore  
 Vitam reddere mortuis Poetis.  
 Nec nullum tibi præmium laboris  
 Promittas, sciet orbis & deserto  
 Illud fama loquetur ore; Vates  
 Quod vivi tibi mortuique cedant.  
 Quot cartis memoras tuis Poetas,  
 Tot te, dignus es, ut canant Poetæ.

*Alexander & Philippus.*

**V**irtuti via nulla tuæ se, Magne, negabat.  
 Perfidia se nulla, Philippe, tuæ.

*In Calanum mendacem.*

**C**um loqueris falsis admisces vera, Calane  
 Certa fides dictis constet ut inde tuis.

Ergo, Calane, ne quis si semper dicere verū,  
Ne fallas, semper te volo falsa loqui

*Amen.*

**Q**uid sit Amen quæsitus Iber sic afferit: inde  
Nomē habet; pueri nempe quod Amen  
ament.

**De ebrietate,**

*Pontii Pastoris concio.*

**E**brietas vitium est quo non damnosius  
ullum;

Hanc fugitote meæ, Pontius inquit, oves.  
Sæpius ebrietas fecit mala plurima, multas  
Præcipue cædes ebria turba facit.

Tempore Noachi fuit ebria terra, necique  
Quotquot erant homines ebria terra de-  
dit.

*Avarus.*

**X** Semper Avarus eget, semper vult plura, nec  
unquam  
Quod vult, quod voluit forsan habere  
potest.

*Liberalis & avarus.*

**N**on habet indignus quæ munera cepit  
avarus,

Hæc quoque quæ benè dat munera lar-  
gus habet.

*In*

*In Emmam fucatam.*

**M**entito speculum vultu inspicias, exhibet  
 umbram,  
 Mentitur speculum non tamen, Emma,  
 tuum.

*Ad Proclum Poetam.*

**S**i tua vis nunquam putrescere carmina,  
 multo  
 Quæ scribis condi carmina, Procle, sal-  
 Servat ab interitu sal conciliatque saporem:  
 Quæ sale scripta carent quid meruere?  
 piper.

*Amicitia.*

**D**onec eris felix multos numerabis ami-  
 cos,  
 Et felix, multos dum numerabis, eris.

*Ad Pythagoram.*

**Q**uas alii laudes scribendo, legendo, lo-  
 quendo,  
 Tibi tu tacendo comparas,  
 Jamque silens loqueris famæ tamén ore,  
 tuumque.  
 Nunquam filet silentium.

*De eodem.*

**P**ythagoræ par nulla datur facundia laudis  
 Pythagoram dignè vis celebrare? tace.

Viri cujusdam extra patriam mortui  
*Epitaphium.*

Uxor is furias per mille pericula fugi;  
 Contigit hac misero deniq; sede quies.  
 Audeo nunc illam contemnere; sed precor  
 o tu!

Ne mea resciscat forte Megæra, tace.  
*Gallia bodierna.*

Dicta fuit quondam braccata comata to-  
 gata  
 Gallia, nunc dici tota sagata potest.

*Ad Virum Doctissimum πολύγλωσσον.*

Plurima scripta orbi donas, Vir docte, sa-  
 pisque,  
 Nil stolidus scribit Momus, & ille sapit.

*Ad Lyconem de Camilla.*

Formosam lepidamque scitulamque  
 Dotatam minime tamen Camillam  
 Nos amare Lyco vetas? Camillæ  
 Tanta est gratia corporis decorque,  
 Ut vel nuda viro queat placere.

*Ad Ruffum.*

Sors tua te ditem natura que fecit avarum  
 Quid tibi, Ruffe, precer? qualis es esse  
 velis

Divi.

Divitiis homini nihil optem pejus avaro,  
Nec quicquam diti pejus avaritia.

*Lalages Epitaphium.*

**H**oc Lalage tumulo vitæ pertaxa quiescit,  
Nupta prius juveni nupta deinde seni,  
Infelix Lalage nulli bene juncta marito:  
Vivere non potuit ille, nec iste mori.

*Pauper Poeta.*

**V**idurum Vates scribet nihil indigus auri.  
Gignere sicut ager nil sine sole potest.

Meum & tuum bellorum causæ.

*Ad Politicum.*

**T**olle meum atque tuum, sic bellum tolli-  
tur, inquis.  
Quomodo? cum tollant bella meum at-  
que tuum?

*Panegyricus Attali.*

**S**i mihi centenis resonarent vocibus ora,  
Ipsaque me Clio phocidis amne lavet,  
Aut mihi Nestorei facundia suppetat oris,  
Aut mihi fas magno cum Cicerone loqui;  
Ore tuas digno nunquam tamen, Attale,  
dotes

Possẽm aut virtutes enumerare tuas

Tanta

Tanta tibi sane est virtutum copia? tantum  
Laudandis polles dotibus? imo nihil.

*Grammaticus Philautus.*

**T**u bene fac, alter facito bene; Grammatico-  
corum  
Personam, jubeam qua mihi, nemo, doce-  
cet.

*Ad Ovenum.*

**Q**uam vereor citò ne pereant tua carmi-  
na? mundum  
Sunt qui stare diu postmodo posse ne-  
gant.

*In Lycorin jocus.*

**S**e pacis dicit studiosam pulchra Lycoris,  
Intestina tamen bella Lycoris amat.

**Ad Paullum Romanum**

*Pro Patria fortissime occumbentem.*

**Æ**ternam meruit tua mors, fortissime,  
laudem,  
Promeruit nullam laus tua, Paulle, necem.

*Fabula Trojæ.*

**R**egis proditor ille patriæque,  
Sed fortis tamen & pius Maroni  
Anxas humeris tulit parentem?

Victores spoliavit ille grajos?  
 Per hostes pedes ivit atque flammās?  
 Ad Ditem pedes ivit & rediit?  
 Ivit, sed pedibus Maronianis.

*Partes in Europa.*

**S**i concordia mentis atque lingvæ  
 Laudatur merito & bonis probatur,  
 Cur non, cuius amat colitque lingvam,  
 Germanum deceat favere Gallo?

*Status imperii Romani 1672.*

**Q**uid vos iniquæ Dædali calumniæ  
 Consilia nostra lenta ignava carpitis?  
 Tantoque nos in patriæ periculo  
 Cæcos stupentes & vocatis plumbeos?  
 Germaniæ libertas hercle est perdita  
 Perire si volentibus jam non licet.

*Germania.*

**D**itavi stolido Gallum Germania luxu;  
 Stultitiæ pænas exigit ipse meæ.

*Turcarum Imperator.*

**C**hristicolæ odiis discordia turbat & ar-  
 mis.  
 Perpetuo turbet! res agit illa meas.



*In Ponticum.*

**O**mnibus ingratum meritis te, Pontice,  
præstas.

Moribus his nulli, Pontice, gratus eris.

**AD JOANNEM GEORGIUM  
CHRISTOPHORUM.**

*Sodalem jucundissimum, Carmen Jocosum.*

**J**ani, Christophori, Georgique,  
Fastis nomina sacra Christianis.

Uni nomina terna cur parentes

Donavere tibi? ter esse gnatum

Felicem cupiere, ter beatum.

Et nos & reliqui tui quotannis

Ter te vivere cogimus sodales.

Quandocunque vel hoc, vel hoc, vel illud

Nomen lane redit diemque signat;

Tum nos è pedibus novem Dearum

Nostro vincula nectimus sodali.

Sed mollissima vincla, quæque solus

Dignus nomine solvat hoc Lyæus.

Tu pro more diem tuum coronas:

Quicquid Sequana galla delicati,

Vel Rhenus melior Nicerque, quicquid

Ad nos cærulea per profunda misit

Ex Uva generosiore Bætis,

Una ponitur omnibusque mensa.

**O** factum benè perge, Jane, perge

Nobis

Nobis vivere, vive ter quotannis  
 Nos semel tibi, quamlibet parentes  
 Tenaces nimium gemant parentes.  
 Si census tamen atterit gravesque  
 Exhaustit loculos beata vita;  
 Non est hæc tua culpa sed parentum,  
 Qui nomen tribuere sumtuosum.

### Die Sonne der Mond.

Sol regnat sed Luna solet cornuta repleri;  
 Hinc sol nonnullis scæmina Luna vir est.

*Ætas parentum pejor avis &c.*

Tam mala nostra ætas vix possit pejor ut  
 esse,

Si qua fides pejor quæ tamen instat erit.  
 Sit licet, at nostris erit hoc prudentior an-  
 nis:

Jactabit proavi nomina nemo sui.

### Ænigma Jocosum

*Ad Marinum.*

Hominum genus nostris frequens in urbi-  
 bus

Nostros in usus cœlitus missum genus,  
 Quo sine nec arcto viveres sub frigida  
 Sed vel memor prioris innocentia  
 Sincerus undique atque aperti pectoris  
 Totus pateres vel pellito cum Schyta.

Indu-

Indutus ires cruda Damae tergora  
 Aut quale victa tegmen assumpfiter  
 Tot ille notus fabulis Tyrinthius.  
 Hominum genus solers peritum callidum:  
 Cui non negaret cedere & palmam dare,  
 Tegeæus ipse, quamlibet doctissimus  
 Quodcunque furto sed jocosum, condere.  
 Amans tamen diei non piceas gerit  
 Sed cereas tantum manus, vulgo licet  
 Jam trita sit multique splenis fabula,  
 Quod hoc genus Marine? dic si quid sapias,  
 Nec sub mamilla Davus ignava latet,  
 Repperimus, inquis, arrige huc aurem.

Rem acu.

Ad Lectorem.

Quæ volvenda damus tibi carmina, Le-  
 ctor, eodem

Quo nos consilio scripsimus ista, lege:  
 Non semper graviora juvant aut feris, tri-  
 stem,

Sape leves animum restituere joci.  
 Indulget licitam dum mens sibi tessa quie-  
 tem,

Et quod agas nihil est, hoc age, ne quid  
 agas.

In Euclionem

Calculo extinctum,

Tot ille arator jugerum,  
 Tantique messor horrei

Opum.

Opumque custos plurimum  
 Quam Crasus ipse Lydius  
 Vel alter ille plumbeus  
 Ciboque dignus aureo  
 Iudex iners Apollinis  
 Ille ille jam tota satis  
 In urbe notus Euclio  
 Dum desidet dum nummulis  
 Metitur annos aureis  
 Dum secula optat Nestoris  
 Et secla sperat Nestoris  
 Offensa rixit Atropos  
 Geminisque mox sororibus  
 Quin, hunc, ait, Diti damus  
 Opibusque terra conditis  
 Vitam diemque reddimus  
 Sic illa, plaudit utraque  
 Et hanc probat sententiam  
 Audiverat suumque Mors  
 Adjecit atra calculum.

*In mortem Turreni.*

**T**andem terribili Turrenum turbine ta-  
 tum  
 Teutoniarum toties territa terra tegit.  
 Teuto triumphator Teuto tutela tuorum  
 Turreno tumulum tolle, trophaea tibi.

De THOMA BARTHOLINO.

Quem loquitur præsens, nec postera nesci-  
et ætas;

Barbara quo sese Danicæ regna negant,  
Qui quicquid veteres pulchrum scivere

novique,

Divina clausum pectoris æde tenet.  
Cui Fortuna novi fastigia pandit honoris,

Datque suum meritis officiosa decus;

Tam magni celebrisque Viri qua fulget A-  
pollo,

Nemo nequit laudes dicere, nemo potest.

In Calendas Junias

Anni 1676. & 1677. Danorum Victoriis  
in mari Balthico nobilitatas,

*Ductu Generosissimi Dni*

NICOLAI JULII

Archithalassi Equitis aurati &c.

Diem serenum candidum nobis diem  
Fastisque dignum posterisque debitum,

Quo bis triumphum læta vidit Dania

Cur Suecæ criminæ & diem nigrum

Diem nefastum luridum diem vocas?

Cur huic diei tot tuorum funera

Victasque captivasque clāsses imputas?

igno-

Ignosce Suece Junio, namque hanc tibi  
Non Junius sed JULIUS cladem dedit.

In Calendas Maj & Junj Anni 1676.

Junii & Julii Anni 1677.

*Suecis inauspicatas.*

**I**nfaustas nimitum tibi calendas  
Atratas nimis atque inauspicatas  
Tandem, Suece, cavere disce lucas.

Gothorum patriam satis potente  
Firmam præsidio marique cinctam  
Securus tumidusque possidebas.  
Hac Majæ pepulere te Calendæ.

Terres Oceanum natante bello:  
Nostris exitium minata regnis  
Formidabilis illa clasfis instat.  
Hanc perdunt tibi Juniaæ calendæ

Ausas per vetitum volare balthum  
Et nostros prohibere comæatu  
Frangunt disjiciunt feruntq; puppes  
Post annum quoque Juniaæ calendæ.

Conatu tamen ultimo laboras  
Et cui vix similem paremve vidit  
Nostris Nereus Arbiter profundi  
Nobis objicis ingerisque classem.  
Hanc vincit quoque JULIUS fugatque  
Et urit tibi Juliis calendis.

Post quartas tibi tam graves calendas

Si nondum resipis tibi que parcis  
 Nec cœlo petis à minante pacem,  
 Pares, Svece, prioribus futuras  
 Et nonas tibi comprecor calendas.

## AD NICOLAUM JULIUM

Thalassiarçh, Equ. Arat. &c.  
 De Victoriis navalibus.

**D**um Sveones, JULI balthi Neptune, tri-  
 umphas

Captivasque facis nostra trophæa rates  
 Non opus ut Romana tuas facundia laudes  
 Pro rostris toties dicere sœta, canat.

Non opus ut meritas jactent tua classica  
 lauros:

Devicti Sveones prædaque testis erunt.  
 Objeiunt oculis tua se præconia nostris;  
 Cernimus in laudes rostra diserta tuas.

*Ad Lectorem.*

**A**n bona sint noster quæ carmina fudit  
 Apollo

Nescio, quod nova sint, Lector amice, scio.  
 Omne novum pulcrum non arbitror esse  
 bonumque,

Omne bonum tamen hoc tempore penè  
 novum.

## LIBER III.

133

*In avarum podagricum.*

**A**uget avaritiam dum vult abolere pod-  
dagra,

Nec dolor alterius tollitur alter ope.  
Proficit & verbis quoque parcere discitava-  
rus:

Nam simulac ô pes! ingemit, optat opes.

*Lactuca.*

**H**ospes apud Janum diverterat Otto Ba-  
tavum,

Primaque lactucam mensa batava dabat.  
Otto ait: hæc prisco claudebat tempore  
cœnam.

Respondit batavus: claudit & illa meam.

## LIBRI TERTII

FINIS.





**Errata sic emendanda**


Pag. 3. vers. ult. Foscit pro Foscit pag. 7. lin. 10.  
pro Fillii leg. Filii pag. 26. lin. 3. pro hic lege sic  
pag. 43. vers. 7. pro Mam lege Nam p. 72. l. 2. Li-  
num, p. 83. vers. 3. Vatibus p. 87. vers. 7. deleatur,  
sua p. 89. v. penult. LIBRI. p. 122. v. 7. plurima


**Cætera benigni lectoris favori  
relinquuntur.**

















Ungue me  
vini



